
27



huyus Opusculi Albericum gentilem auctorem esse tradit Fabricy in Bibliog: antiq: p. 501 hisce verbis. Satis in superiori nota est civitas Solis Th: Campanellae, ut Terram australem Mercurii Britannici sive librum Alberici gentilis cui titulus Mundus alter et idem

MUNDUS
ALTER & IDEM
Sive
Terra Australis antehac semper incognita
AUTHORE MERCURIO *Brittannico*
Accesserunt Trattatus duo

C.V.D. fe.

ULTRAIECTI.
Apud Ioannem Waesberge
1 6 4 [illegible]



MVNDVS ALTER ET IDEM.

Sive

Terra Auſtralis antehac ſemper incognita; longis itineribus peregrini Academici nuperrimè luſtrata.

Authore MERCVRIO BRITANNICO.

Acceſſit propter affinitatem materiæ

THOMÆ CAMPANELLÆ, CIVITAS SOLIS.

ET

NOVA ATLANTIS.

FRANC. BACONIS, Bar. de Verulamio.



VLTRAIECTI,

Apud JOANNEM à WAESBERGE Anno clↄ Iↄ c XLIII.

Ad Bibliopægos de locis mapparum.

LECTORI
SALUTEM.



Ræter ſpem, amice Lector, nec tempeſtatibus actus, nec diuturna maris jactatione laſſatus, ſine vẽtis, ſine *velis* in novum mundum appuliſti. Ubi poſtquam terrarum amplitudinem, regionum ſitum, populorum mores & ingenia, univerſi denique faciem & *habitum* recte perluſtraveris; adeo hujus veteris mundi formam agnoſcas, ut licet alterum videas, eundem tamen credas. Fortaſſe cogitas

hunc noſtrum decrepitum filium tandem ſibi prorſus conſimilem peperiſſe. Prolem ſæpè quidem parentis naturam mirifice referre experientia docet, & Poëta:

Qui viret in foliis venit à radicibus humor;
Et parum in natos abeunt cum semine mores.

Verum mundum noſtrum ſenem non ſexagenarium, ſed jam ferè ſexmillenarium procreaſſe, ab omni ratione, doctrinaque philoſophica immane quantum diſcrepat! Atque ſi maxime fuiſſet mundus ejuſmodi generatrice facultate unquam præditus; nonne vegetioribus

ribus ſuis annis potius eam exercuiſſet, filios produxiſſet? ipſius etiam nati jamdudum adulti eadem virtute genus late propagaſſent: adeo ut, licet non in immenſum, in tantum tamen proceſſiſſet generatio hæc, totque extitiſſent partim juniores, partim ſeniores mũdi, ut nullus Alexander quos ſuperaret mundos, ſed mundi quidem, à quibus ſuperarentur, Alexandros deſiderarent. *Equidem*, quod ad me attinet, exiſtimo hunc quem nunc ut novum intueris mundum, illum ipſum eſſe, de quo tot ante ſecula ſõniarunt Pla-

tonici: quem & *mundum invisibilem*, & *mundi ideam* nuncupavere prisci. Si enim singula hujus membra & lineamenta recte perpenderis, accurateque contemplatus fueris, veram ac vivam hujus in quo degimus, mundi ideam & σύνοψιν te perspexisse dixeris. Qui igitur per tot transacta secula Chimeriis obtectus tenebris latebat humanum genus, hujus tandem authoris ingenio & labore nobis clare conspiciendus præbetur: mũdus ille olim invisibilis nescio quo artificio sive optico sive magico visui exponitur, & hoc opere primum

mum detegitur. Ubi illud mihi in primis videtur mirandum, quod & orbs iſte, & hic ejus index ſimilem omnino fortunam ſubire adacti ſint. Uterque enim à parente ſuo (quam primum natus) tenebris adjudicatus: Utrique à conditore ſuo lux negata, utrique aliunde conceſſa. Nullus huic Titan præbebat lumina mundo: Conditus erat & ſtatim abſconditus: nec lux ei ſpectanda vel *ſperanda* unquam, niſi ab hoc ingenio. Cujus illuſtre opus latentem hunc, obſcurumque mundum è caligine facile eruiſſet, modo ſibimet ipſi

 lucem

lucem pariter prohibitam vindicare potuiſſet. Citius itaque nobis patuiſſet iſte mundus incognitus, ſi citius prodiiſſet hic libellus in lucem. Verum illius author, mundique ignoti explorator, qui jam pridem Muſis (quarum inſignis fuerat cultor) vale dicto, ad Theologiæ ſacra ſe contulerat (uſque jam totus vacat) hæc, & nonnulla alia ſua commenta *Philologa* luce & laude digniſſima, tanquam levia aut vana aſpernatus, nullis precibus induci potuit, ut permitteret in publicũ exire. Excuſabat autem, ſe juvenili quidem ætate ocioque Acade-

cademico hujuſmodi quędam proprii exercitii & oblectationis gratia compoſuiſſe, ſed nunc quaſi nugas inutiles rejicere, abdicare, nec dignari ut ſuo nomine unquam ſub aſpectum hominum veniant. Hinc factum eſt, ut hoc opuſculum vere elegantiſſimum ac jucundiſſimum diutius tenebris obductũ deliteſceret, & indignis caliginis vinculis teneretur, ne literatorum orbi innoteſceret: *Donec ego*, quem author ipſe pro ſua mirifica humanitate amici & familiaris loco habebat, belliſsimi felicis ingenii partus infelicem ſortem

tem miſeratus, omnibus modis & rationibus, quibus poteram, quærebam & tentabam, ut eundem carcere ſuo eximerem, & in libertatem lucemque vindicarem. Cumque probe perſpexiſſem authoris animum adeo fixum & obfirmatum, ut nullis amicorum petitionibus, rationibus, aut ſuaſionibus à ſua ſententia moveretur, nec jam ſpes ulla reſtaret, ut novus hic mundus mundo noſtro recluderetur; ſanctas ſane amicitiæ leges potius movendas duxi, quam ingenuos cunctorũ ubiq; eruditorum animos dulciſſimo hujus fructu

gratissimaque voluptate perpetuo privandos esse.


Itaque ut quam ipse hinc dulcedinem gustaverim, studiosis omnibus percipiendam præberem, consilium cepi communicandi cum aliis quod antea me solum penes erat. Sed priusquam auderem rem aggredi, multum temporis elapsum est. Hærebam enim animo: quia & audacius factum videbatur, & charissimi viri (cujus amicitiam semper maximi mihi faciendam statuerã) offensam, prout debui, metuebam. Ad postremũ vero, rei pulchritudini victus & captus, cum existimarem

marem nihil damni aut dedecoris inde poſſe authori redundare, ſed multum potius benevolentiæ & famæ, plurimum vero utilitatis & voluptatis literatæ Reipubl. neceſſario manare; non potui mihi amplius temperare, quin amota omni hæſitatione exemplar hujus operis, quod ratione amicitię noſtræ mihi erat creditum, cuſtodia mea emitterem, & typographorum manibus traderem.

Atque hoc tandem modò mea cura, induſtriaque nonnullo etiam diſcrimine aperitur tibi, Lector, novus orbis tam diu occlu-

clusus & obseratus: In cujus beneficii mercedem, hoc unum abs te peto & obsecro, ut si quid hinc gratum & jucundum perceperis, velis pro me intercedere apud authorem (quem ægre laturum vereor) ad sedandum ejus animum, ne ob facinus admissum iniquius quid in me decernat; sed potius ut justis adductus rationibus factum meum benignius interpretetur: meque in solita sua gratia adhuc retineat ac conservet. Ita valeas, novoque mundo, quem expectas, læte fruaris.

GVLIELMVS KNIGHT.



ITINERIS OCCASIO ET Προπαρασκεύασμα.

QVæ mihi cum peregrinis omnibus necessitudo quondam intercesserit, & satis norunt Academici nostri, & ipsorum libri φιλιάπκοι & literæ etiamnum abundè testantur: sive huc me illud impulerit Homericum

——πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες

ξεινοί τε, πτωχοί τε: *seu potiùs, præter suavissimos illorum mores & ingenia, innata mihi quædam animi sitis & titillatio à summo discendi studio profecta; neque enim quid illustre tulit ulla nostri orbis re-*

 gio,

gio, quod me jam tum verè Athenienſem percontatorem diu latere potuit. E reliquis poſtquam mihì multus ſermo cum meo Petro Beroaldo Gallo, *&* Adriano Cornelii Drogio Belga *de peregrinationis utilitate ſubortus fuiſſet (in quo non injucunda legum, morum, linguarum, urbium collatio amica quadam lite agitata eſt) Ego vero (inquit Beroaldus) adhuc neſcio quid ſit illud peregrinari. Nam ſi limen patrium tranſilire, terram tuæ proximam calcare, fretum aliquod anguſtius, aut flumen (puta* Twedam, Rhenumve*) tranſnavigare, hoc ſibi nomen (ut vulgo fieri ſolet) adſciſcat;*

sciscat; cum tamen eodem cælo, iisdem fruare syderibus, vixque mutatam soli faciem animadvertas; non video quid in se durum, aut quid nobile complectatur. Me jam chari parentes, & tot Montalbanæ amicitiæ, velut longius absentem, solicite domum revocant: ego me interea vel præter abstrusiorem Socratis sententiam, domi biennium hoc egisse puto: quantillo enim distat à Montalbano Lutetia, à Lutetia Caletum, à Caleto Dorobernium? Sane, ubi terram ipsam cogito, ulnam mihi fortè unam videor; cum tabulam Geographicam, latum digitum; cum vero cælum intueor, nihil

quicquam promovisse: Nec video mihi minus Europa, quàm Gallia patriæ nomen mereretur. Nam si linguarum varietatem spectes, quis nescit quot in orbe hoc Europæo provinciæ, totidem ab una Gallorum gente, & sono & origine penitus discrepantia sermonum idiomata usurpari? Si mores & ingenium populi: En tibi hic orbis, non quidem nostri, sed planè universi expressam imaginem, dum unaquæque provincia in gentis vicinæ mores habitusque, non secus ac Polypus piscis in saxi sibi adjacentis colorem transformatur. Atqui nos (inquam ego) invidemus tibi, seriò, Beroalde, quam

tu

tu tantopere contemnis peregrinandi licentiam: qui (miſelli homines) teſtudinum more, domunculis noſtris infixi hæremus; dum tu orbis totius delicias liberè intueris, & jam animo bene ſaturo deſpicis, & conculcas. Si liceret mihi modo Alpinam nivem, vel Pyrenæas umbras contueri; quantum ego hoc meis oculis, ocio meo gratularer! ubi quicquid viderem & audirem, documento mihi foret, recentiq́; cognitionis acceſſione avidum hoc pectus locupletaret. Quāta ſibi, mi hoſpes, promittunt abſentes (reſpondet Beroaldus) quamque vana ſpes lactat ſæpe inexpertos! Hac ego me opinione domi quondam

latitantem fovere solebam: quam nunc semel meis finibus egressus inanem comperi ac otiosam. Facilis enim est in tantilla profectione satietas, rerumque vel non antè visarum novitas opinione rarior. Ita namque parum à nostris discrepant aliena, ut vel ea, quæ nunc primùm oculis nostris occurrunt, nova tamen videri non possint. Et quid, quæso, est in tam probè notis, remotisque parum terræ partibus, quod homini cordato minus tabularum usu, & peregrinorum sermone, quam suis itineribus innotescat? Britanniam *vestram descripsit* Camdenus: *hunc qui legerit, quidni de singulis urbibus*

bus ac villis, fluviis & quotquot uspiam cernuntur antiquitatis monumentis, aut stupendis naturæ operibus absens disceptare possit, non minus profecto accurate, quam qui singula suis oculis perlustrarit? Et quæ tandem pars Europæ suorum laboribus ac typis illustrata, exterorum oculis minus patescit? Mores vero populorum si quis desideret, & illi communi quadam ratione satis noti sunt universis: neque tamen ita sibi constantes, ut singillatim poßint cujusquam vel oculis, vel calamo comprehendi. Audiant vulgo Galli temerarii, Hispani arrogantes, bibaces Germani, Britāni πολυπράγμονες,

Itali molles, Suevi timidi, Boëmi inhumani, Hyberni barbari ac superstitiosi; quisquamne hominum ita plumbeus est, ut existimet Galliam vix quenquam prudentem, Hispaniam pusillanimum, abstemium Germaniam produxisse? Fallunt, mihi crede, qui animorum compositionem, & efformationem morum ita totam cælo tribuunt, nihil ut propriæ cujusque indoli, nihil semini parentis, nihil deniq; educationis ratione relinquant. En tibi has ipsas Musarum ædes, sub quarum benigniore umbra nos feliciter hoc ocio fruimur philosophico: Finge tibi ex Italis, Hispanis, Gallis, Danis, Belgis, Polonis, coa-

coaluisse pulchellum hunc studiosorum numerum; putasne majorem ingeniorum varietatem inter ipsos quàm solos vestrates, posse comperiri? Quoquo igitur te vertas, non video, aut cur hoc tam compendiarium, ac verè sesquipedale iter peregrinationis nomen mereatur, aut quid nobis istinc commodi (modo illustrium doctrina virorum, Whitakeri, Rainoldi, Iunii *adspectum excipias) itinerantibus demum emergat. Ego certè* Draconem *ac* Candisium *vestrates, ac* Sebastianum Delcanum Portugalum *verè dixerim peregrinatos, qui totum hunc orbem itinere quidem navali, non i-*

ta pridem permensi sunt. Neque verò nomen hoc invidebo vel Christophoro Columbo,*qui Occidentalem Indiam, vel* Ferdinando Magellano,*qui Moluccas, vel* Francisco Pizzarro *&* Almagro, *qui provinciam Perüanam, vel denique* Hugoni Villobeio, *qui terram Arcticam primus aperuisse fertur; nec illi demum quisquis fuerit, qui vel novos orbes periculosa disquisitione invenerit, vel nuper inventos excoluerit. Et sanè (licet enim coram vobis tuto fateri) nescio quid mihi mens mea suggerit heroïcum, audere aliquid in hoc genere, quod & hæc ætas stupeat, & posteri nepotes*

potes

potes grata ſemper memoria recolendum cenſeant. Tacuit hîc Beroaldus, & erubuit, ac ſi aliquid ſibi vel audacius vel ſecretius excidiſſet: Cum Drogius arridens leniter; ſiccine verò, inquit, Beroalde, quod tamen ne profari quidem auſus? vel num fortè tibi ſpes ſuſpenſos diutiùs auditorum animos curioſæ anxiæque inquiſitionis eculeo torquere aliquamdiu? vel denique, num arcanum hoc modeſtius, quod in pectoris tui intimo conclavi hactenus delituit, egreſſu primo tot auribus propalari timet? quicquid ſit; en tibi candidam frontem, aures bibulas, fida pectora: nuſquam tutius,

nusquam opportunius tam ardui cœpti consilium prodibit in hanc lucem. Pol, tu malus es interpres silentii, respondet Beroaldus, quin illud potius conjecturis tuis ultro immisces Drogi, quod cum res magnæ non sine magno apparatu longisque præfationum ambagibus (ut viri principes non sine numeroso stipatorum agmine) prodire soleant, ipse rem longè maximam, unius anni prolem, derepentè absq; omni præmonitione nudam in medium protrusisse visus sim: Consilium quidem istud vobiscum communicare, jam mihi olim ab initio certò decretum erat; quod tamen gradibus quibusdam facere volui, & non

& non sine opportuna animorum præparatione; sine qua novi quam ingrata & insipida videantur etiam quæ prudentissimè sunt instituta: nunc vero rem totam (ni suspectum vobis velim amorem meum) intempestivo sermone præcipitare mihi necessum video. Faciam igitur herclè citius aliquanto quàm sperabam; sed non minùs profectò lubenter: fingite vos modò (ne quid desit) longã περίφρασιν, *quam ego mihi proposueram, ordine suo antecessisse.*

Ægrê me semper habuit quod in tabulis Geographicis usque mihi occurrit; Terra Australis incognita; *& sanè quis hæc non planè excors,*

sine

ſine tacita indignatione legat? nam ſi Terram *eſſe norunt, ſi* Auſtralem, *quomodo tandem incognitam aſſerunt; & , ſi incognita ſit, quid mihi illius formam, quid ſitum unanimes Geographi depinxerunt? Ignavi homines, qui quod eſſe ajunt, ſe tamen ignorare fatentur: & quouſque tandem deſides neſcire non pigebit, quod à nobis cognoſci quadantenus profitemur?*

Horat. lib. 1. Od. 3. Certè ſi nemo unquam
--- *v v*-Fragilem truci
Cõmiſiſſet pelago ratem:
non deforet nobis aliquid quo pertinacem hanc (quam nos, boni viri, neutiquam diſſimulamus) inertiam excuſaremus;

remus; nunc vero cum undique mare pateat ac tellus, nec quis ferè sit è plebe nautarum, quin ventos, freta, syrtes, portus totius orbis catènorit: Apage hanc nimiùm supinam ætatis nostræ socordiam, vel timorem certe plus quàm fœmineum, & inanem ὑποψίαν, quæ nos alio orbe spoliat non invitos: Nam quod præterea velum obtendemus huic inscitiæ? quid dubitamus? quid formidamus? umbros? nos ipsos? Ibi cælum est, ibi terra, sunt proculdubio & homines, fortasse nostris non parùm cultiores. Quis inter Chinenses tantum acuminis, solertiæque, expectaßet? quis tot artes, tamque multi jugem re-

rum

rum omnium ſcientiam? qui dum nos Muſas omnes in hoc Occidentali gurguſtiolo incluſas putamus, rident, nec immeritò, quicquid uſpiam præter ſe hominum eſt ajuntque ſe ſolos vere oculatos, Europæos unioculos eſſe; reliquos, quotquot ſunt, mortales, cæcutire; vel ſi nemo ſit, turpe eſt ſapienti queri ſolitudinem, turpe metuere.

Proverb. Chinenſium.

Iſta ſæpe meditanti ingenuum mihi quendam calorem flammamque in hoc pectore excitavit indignatio, atque hinc orta (quod ab aliis neglectum video, doleoque) magnamina, vulgoque altior audendi cupiditas. Magnum quiddam, Beroalde, moliris,

liris, inquam ego, & vix operæ mortalis: in quo quicquid fiat, gratulor tibi mentem hāc ſanè altam, & te dignam: ſed oportet meminiſſe res magnas, quæ (te judice) ſine multis verborum præludiis proferri non debent, ut feliciter ſuſcipantur, majore quidem cogitationum apparatu indigere. Satine ergo propoſuiſti tu tibi facinoris tanti pericula, ſumtus, difficultatem, ſpem, exitum, omniaque inter ſe collata, æquâ judicii trutinâ probè libraſti? Cælum eſt, inquis; at quod tu fortaſſe vix præ continuis tenebris intuebere: Terra eſt: quam tu fortè ob ſerpentum ferarūque frequentiam calcare non

aude-

audebis: Homines sunt; at quorum tu consortio carere malles. Quid si te Patagonius aliquis Polyphemus medium discerpserit, & jam palpitantem adhuc, sentientemque devorarit; ubi nunc es audax orbium indagator? Cogitare ista quidem tutum est; cave, si sapis, experiri At tu nescis, respondet Beroaldus, nescis hospes ex adverso meæ terræ incognitæ jacere Promontorium Bonæ spei: *Audendum scilicet & sperandum. Illa periculorum spectra terrent imbelles animos, excitant generosos; quorum si habenda esset ratio, nulla nobis regio, nulla urbs, aut domus præter nostram pateret.*

Hanc

Hanc unam ob causam quam diu latuit Americanus ille orbis, & adhuc credo latuisset, ni Deus nobis sero columbam cælitus emisisset, quæ olivæ ramulo ex hac terra decerpto, doceret nos aliquid præterea super esse terrarum, quod undis parum submergeretur: cujus quam celebre sanctumque gratæ posteritati nomen haberi solet? imo quamdiu terra erit, circumferetur illius effigies, quam nos non sine honore quodam, stuporeque intuemur: neque sanè mihi minus honorificum sonat, Inventor orbis novi, *quàm istius* expugnator. *Quidni nos idem beet successus, eadem gloria? Neque profectò parùm*

mihi

mihi acuit animum non obscurum illud satisque decantatum Senecæ Tragœdi vaticiniũ, quod à nobis adhuc restat adimplendum:

——————Venient annis
Secula seris, Quando Oceanis vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus.

Quid de itineris instituti exitu clarius dici potuit, aut felicius? Hîc interpellãs Drogius; At cave, inquit, Beroalde, tam altæ structuræ adeo exile & angustum substernas fundamentum. Columbus ille tuus, quicquid tragicus vates hariolatus est, jam olim præstitisse dicitur: Hæc sera sæcula sunt: Patuit jam dudum ingens Americana tellus:

tellus: Quid tu aliam somnias ætatem, terram aliam? Scio quam popularis hæc sententia sit, dubito quàm vera, inquit Beroaldus: &, ni fallor, efficiam ut vel tu planè falsam fateare, vel istud vaticiniũ fuisse perneges. Nam ubi futuri temporis omne vaticinium sit: quid si palàm evicero Indias Americanas sæculis prioribus innotuisse? ut hoc modo Seneca non tam futurum præmonere, quàm quid ab aliis ante se factum docere videretur. Nec quid mihi magis persuasum est, quàm aliquam Occidentalis hujus terræ partem, illam fuisse auream Ophyram, *quam Salomonis*

nis & Hirami classis trienni navigatione non semel lustrasse fertur. Etenim ubi quinque mihi occurrunt pugnantium hac de re authorum sententiæ; Prima Rabani Mauri *&* Nicolai Lyrani, *quæ in Orientali India ponit Ophyrinam terram; secunda* Raphaëlis Volaterrani, *etiam &* Abrahami Ortelii, *quæ hanc* Solafam *statuit in Oceano AEthiopico insulam, ex incerta* Ludovici, *nescio cujus,* Veneti, *relatione; Tertia* Gasparis Varerii, *quæ quicquid uspiam terræ Pegusio, Malacca, Sumatra, continetur, hoc nomine indigetat: Quarta* Francisci Vatabli, *cui teste Petro Martyre,*

Martyre, ſuffragatur Columbus: *quæ inſulam Hiſpaniolam; Quinta denique* Poſtelli, Goropii Becani, Benedicti Arię Montani, *quæ Perüanam hanc fuiſſe regionem confidenter ſtatuit, ultimæ duæ reliquarum longe veriſimillimæ, pro nobis faciunt ambæ; quarum utra vicerit, ego quod volo, pariter evicero. Et ſanè quod ad priores duas, illas, ita plane ſuſtulit* Gaſpar Varerius, *ut quicquid ultra adtexuero ſupervacaneum fuerit: Supereſt, ut quod ille aliis, ipſe illi viciſsim operæ navarem: doceremque Sumatram & Malaccam, auream Cherſoneſum, perperam ab illo cum*

Ophy-

Ophyrina regione confundi. Satis quidem docent sacræ paginæ classem hanc Tyro-Iudaicam, integrum triennium huic itineri insumpsisse: atqui à mari rubro ad Sumatram navigant, renavigantque, totum iter decimo mense, aut ad summum integro labente anno conficiunt: quæ hic analogia temporis? quæ species æqualitatis? Quid pro se heîc Varerius? *fortaße navigandi artem nondum adhuc tam plenè cognitam fuiße, quam nuncpridem seris Lusitanorum laboribus, perque hoc tam cæcum & erroribus undique patens elementum, rudes adhuc nautas, cursum fortaße parum rectum*

ctum instituisse. At unde tandem, mi homo, hæc Salomoni remotissimæ terræ cognitio? Cælitùs, credo, dices: Et sanè credo cælitùs, unde & cætera. Age igitur: Qui regionē auriferam esse doceret, & adeundi etiam consilium suggereret, an viam non monstraret identidem? Adde quod certum hic semper itineris spatium statuatur: non citius unquam rediit onusta classis, non morata diutius: quod unum maximam longinquitatem loci, non incertos nautarum errores prædicare videtur. Sed & nomen ipsum adhuc clarè pro nobis loquitur: incerte modo literam unam, sonus idem est no-

 minis

minis utriusque. Increduli mihi jam planè videmini ac pertinaces, nisi terram hanc Indicam diu ante Senecæ secula satis exploratam fuisse mecum fateamini. Vicisti (inquam ego) Beroalde, scilicet, & jam tempestivè triumphum agis: Esto sanè Salomonis sapientissimi Regis opera auream hanc regionem è tenebris prioribus erutam fuisse, classique suæ jam tum patuisse; Hinccine sequuturum spheras toti terrarum orbi æque fuiße cognitam? etiam remotißimis illis gentibus, quibuscum nihil unquam cum Iudæis commercii intercessit? vel quod multo difficilius est, ejus memoriam

moriam ante ſera Romanorũ ſecula non potuiſſe interire? Id vero ſi factum conceſſeris, actum eſt de opinione tua, actum de vaticinio. Sed non ita facile ſuccũbo, mi hoſpes, reſpondet Beroaldus, cedoque hiſce rationum vanis umbris: Imo potius pedem mihi fortius figit hæc tua tam opportuna dubitatio: Non enim planè ſilent, indices veritatis, hiſtoriæ; ſed Ophyrinæ hujus terræ cognitionem ad Romanos uſque nepotes propius deducunt. Noſtis inter Salomonis ævum, & originem Carthaginis, centum, quinquaginta plus minus, annos elapſos: At vero Carthaginenſes, teſte Ariſtotele (quod nec in

ipsa urbis infantia factū crediderim) insulam hanc (nec quæ alia potuit esse) ultra Gades, in Mari Atlantico sitam, post diuturnam navigationem repererunt; legemque tulerunt (quæ ratio est, insulam luculentissimam, nec à Pœnis cultoribus occupatam, nec orbi reliquo tam vulgo cognitam fuisse) ne quis suorum illo deinceps commigraret; veriti scilicet, ne amœnitate ac opulentia loci pellecti cives, aliam istic Carthaginem, patria sede derelicta, meditarentur. Quod cum à Pœnis Græci acceperint, quis dubitaret ab utrisque Romanos didicisse? Credite nunc si vultis, amici, ac tam claræ veri-

tati mecum adstipulamini, vel si mavultis, hæsitate: Mihi certe persuasissimum erit, latere adhuc Senecæ tellurem ingentem, nosque (modo audetis ac satagitis) felicissimos exploratores etiamnum expectare. Ecce nunc venio, mi orbis, post tot vota, post tot moras, venio, inquam, spe plenus, & fiducia; & vel te mundo, vel cadaver hoc tibi, audax impertio: Agite vero, socii, si quis manet adhuc calor priscæ virtutis, si qua præclare merẽdi ambitio, audete hoc facinus: estote mihi comites itineris, compotes fortunæ. Apage frigida illa pectora, quibus nil sapit nisi quod nihil præ se ferat periculi,

culi, nihil gloriæ; quibus nullum placet sepulchrum non sua obtectum gleba : Esuriemus, sitiemus, ægrotabimus, moriemur; *ignavæ voces, indignæ philosophis; indignæ peregrinis, alterius mundi disquisitoribus, contemptoribus hujus : Nihil profectò deest præter animum. Si viri estis, sumite hunc vobis, & erigite: contraque imbelles opininum impetus obfirmati, accingite vos ad hoc iter, fortasse jucundum, certè præclarum, perque multos viarum anfractus rectâ ducens ad immortalem gloriã: Sin minus, sedete domi desides, & inglorii. Inveniam ego alios consilii mei fautores, sociosque, quibus*

bus vos fortassis auspicantissimũ cœpti hujusce exitũ sero invidebitis: Dixit, vultuq; paulũ commotiore nos intuens, conticuit Beroaldus. Neq; non parũ nos movit, tam vehemẽs cordati juvenis oratio (cujus ego vix clausulã è mille unam numero) simulq; rerum novarũ ac gloriæ sitis. Quid multis? Neque opus est quid hic dubitarit, ille dixerit, fecerit alter, paraverimus omnes seorsim percensere: Diem statuimus, navim conscendimus Phantasiam, *solvimus portu; non tamen sine hac cõditione humanitatis pariter & officii, ut suos quisq; in via salutaret, salutarisq; valediceret. Jamque ubi post triduũ*

ad Belgica littora appulisse-mus, post septimanã ad Aquitanica, surripuere mihi Delphensis villa Drogium, Mons Albanus Beroaldum; utrumque sanè invitissimũ; meque vel ἄπρακτον ἐπίμυψασι *, meorum cachinnis post tantam exspectationem propinandum; vel solivagũ viatorem innumeris, ignotisque periculis misere obtruserunt. Neque tamen hæc me terruit insperata solitudo: Perrexi alacer; postque biennium Insulis Fortunatis, littore Africano, Monomotapensi, ac promontorio à tergo relictis, nigellum Crapuliæ caput salutavi.*


LIBER

*ad Belgica littora appulisse-
mus, post septimanã ad Aqui-*

put salutavi.

LIBER

Omg Fagon DVX De nins
vator PRINCPS DEVS
ETE'S FACEOIN MC NI-
NOVINFT F/ACLIEV-S
PKATERAT IENNVS
SACV'TET SOKKVS
HAEKI-SNIE I SIVCYL
HOTEST SVRGTIXQVS
WEI-QVIAVRET HOSTIS
VVITKVENTRESET
VALETE



CRAPVLIA.

CAP. I.

Regionis situs.


RAPVLIA *a* regio ampla; luculenta, quod ad situm, à Septentrione, Oceano Æthiopico, ab Oriente, *b* Locania & Viraginia, ab Austro, *c* Moronia Felici, ab Occidente plaude *d* Tryphonia terminatur: in eadem ipsa orbis parte in qua monstrosissimus ales *e* *RVC* elephan-

a Notat Crapula vitium, unde nomen huic regione inditum, alteri scilicet ebrietatis excessu proprium. κραιπάλη enim Græcis vel κάρης πάλη lucta capitis; vel ἀπὸ τοῦ τὸ κάρηνον πάλλεσθαι, quod caput vertigina quadam concutiat vinum resinatũ pręsertim, ut Plin. l 21. c. 2. vel ἀπὸ τοῦ πηλᾶ, qua voce Poetæ (uti Phocion ait) vinum significant, vulgo tamen qui vel cibo vel vino se ingurgitant *crapulari* dicuntur. Hinc nos terram hanc in duas provincias partiti sumus, *Pamphagonia* nota vox, gulones edacissimos complectitur. *Tvronia*, à Gallica voce *Tvre* vel *Tvrongne*, quæ ebrium significat. *fugos ebriosos.* *b* *Locania* Hisp *Luxuriam* significat; Crapulia proximam, quoniam qui Genio nimis indulgent, in libidinem procliviores sint, *Sine Cerere & Baccho*, &c. *c* *Moronia* huic adjacet, quoniam γαστὴρ παχεῖα μὴ τίκτει λεπτὴν φρένα, verè Poeta.

d Rationem nominis situsque quærere in descriptione *Lavernia.* *e* Qui genius hujus loci perhibetur propter voracitatem incredibilem.

tum integrum unguibus suis rapiens deglutiendum, à neotericis Geographis depingi solet.

Gleba nimis feraci, cæloque nimium benigno fruitur: & cujus ego, non sine tacita quadam invidia, sæpius misertus sum, quod incolas non habeat frugi melioris. Longitudine quidem ad gradum 74. Latitudine verò ad sexagesimum porrigitur: A *Capite Bonæ spei* 11. grad. distat: totique fere Africæ ex adverso jacet. In duas vulgo provincias tribuitur, f *Pamphagoniam* & g *Yvroniam*: quarum altera, magna quidem ex parte ejusdem & longitudinis & latitudinis est (quod ominosum nemini videatur) cum nostra Britannia; altera vero cum utraque Germania: utraque eidem principi, iisdem legibus subjicitur, nec moribus, nec ingenio, nec habitu adeo dissimilis.

f Nota vox, gulones edacissimos complectitur.

g à Gallica voce *Yvre* vel *Yvrongne*, qua ebrium significat, *fungos ebriosos*.

CAP. II. Pamphagonia.

Terra Gulonum.

PAmphagonia, triquetra fere est, a figurâ deltali; non absimilis Ægy-

a Sic Ni-



YVRO
NIA
Lirona
Rilium
Pipulsia Palus
NIA
FATVAMOR
altius
Aeonius
BAVERIA
Pretensis villa
VIRAGINIA PARS
VA
Farsellia Papilionia
RI
Novizza
ANA
tractus
Lecthia
MOR
Pasima
P. Kærius Cælavit

us
Io
da
mi
ple
tur
g
lica
Tur.
Turc
qua
briu
fign.
cat,
gos et
fos.

Ægypto veteri, montosa, collibusque obsita editioribus, solo pinguissimo, ita ut aves quæ confertim huc solent pastus gratia convolare, si per menses tres istic permanserint, præ mera mole sanginaque montes nequeant transcendere; quin neque prosequentium manus evadere; neque tantillo tempore cedant pinguedine *Ortolanis* ac *Beccaficis* Italorum: Quod etiam in Scotia factum novimus, è frondibus deciduis generari *b* anseres, quodque honoratissimi pridem legati nostratis testimonio probatissimum est, in Euroboreali mundi plaga è terra crescere *c* agnellum, cauliqueinnixum, gramen adjacens depasci, quis istic fieri non sibi facile persuadere pateretur. Sed * & pisces qui in isto littore frequentissimi, ita voraces sunt (sive promore populi, locique ingenio, sive quod corruptoq; vermiculos, è vermiculis āseres creari.

a Sic Nilus intimam illius terræ partem format, quæ olim Ægypti nomen tulit: unde veteres Ægyptii: Ibidem tanti fecerunt quod illius exprimi visa est suæ terræ imago.

b *Barnacles*: alii tamē malūt è ligne madefacto diu

c Si quid natura stupendum proferat, id unum est: pellis illius mollissima & ultra valorem fere speciosa duci Moscoviæ asservatur: diciturq; *Samarcandea pellis*: nascitur in Horda Savolhensi, agro Scythico: De agno hoc scripserunt Iul. Scaliger, exer. 59. Cardanus, Baro Herberstenius, Libavius tractatu de Agno vegetabili.

* *Iuven. Sat.* 4. & tua servatum consume in secula rhombum. Ipse capi voluit. &c.

honorem ſepulturæ magnificentiſſimæ cum Neronis rhombo præſagiant) ut hamo ſubinde injecto, confluant ubertim, haud ſecus ac miſellæ animæ ad Charontis cymbam, apud Lucianum, ferroque vel non capti inhæreant (ut carbonarii metallicique ſolent funi demiſſo, ubi calor lucernæ malignum fortè halitum prædixerit) extrahique geſtiant: Adde quod portus qui (ſi cui alii) huic genti commodiſſimi ſunt, nulli uſui inſerviant niſi apportandis, recipiendiſque eduliis, quæ illi ſuperfluis ſolent pellibus commutare, neque incolis licet interea quicquam exportare, quod palatum quamlibet oblique ſpectare videatur. Arbores ibi nullas vidi niſi frugiferas: Ornos, quercus, ſalices & hujuſmodi plantas ſteriles, & otioſas oderunt, quippe quæ nil præter umbram nudam & inutilem largiantur, ſepes ibi omnes (quod & in Yvronia paſſim videre eſt) vitibus lupulis conſitæ, illud *d* Occidentales Angli, hoc Lombardi ab hac regione didicerunt. Iure qui-

d Salopienſis & VVorceſtr. comitatus; ubi *ſepes omnis onuſta Cruſtumiis, Syriiſque pyris, gravibuſque volemis Virg. Georg. 2.*

dem

dem avito *e* Frugiona, terra nunc paulo remotior, hanc sibi regionem vendicat: Ferunt enim Saturni ævo, Principes Frugionios toti huic orbi dedisse jura, & istic regiam suam posuisse, quo tempore, quòd simpliciores antiqui fagis vescebantur, regio hæc *Fagonia* dicta est, jam moribus prorsus immutatis ac jugo prioris ditionis excusso aliquid antiquo nomini adjectum voluerunt indigenę & *Pamphagoniam* appellarunt.

e Moronia solo interponitur Crapulię & Frugionæ: nomen hoc quanquam ad rem vestiariam propriè spectet Varr. l. 4. ling. Lat. à nobis tamen alio trahitur, derivatum à *Frugi*, quem Galli significantissime *Homme de bien* vocant.

Cap. III.

Prima Pamphagoniæ Provincia.

FRiviandæ *a* provincia (ut à proximis ordiamur) nisi peculiari quodam loci ingenio id fieret, calidior est, quã ut veros pareret γαστριμάργους: ultimus enim illius apex, quem alii Geographi *Promontorium Terræ Australis* nuncupant, ejusdem fere latitudinis

a Fercula delicatiora Galli *viandes friandes* vocant: nos ex apta utriusq; compositione voculam unam fecimus: Hanc autem in vestibulo hujus regionis collocavimus, quod & calore nimio fieri non possit quin palato sint incolæ magis delicato & nauseabundo: Australiores vero propter nativum frigus edaciores finximus.

tudinis

tudinis est cum Australissima Castiliæ parte, gradibusque 42. distat ab æquatore. Incolæ fusca sunt cute, pilisque retortis, neque tam molem aut numerum quam delicias quærunt. In hoc ipso promontorio quod nos à colore [b] *Nigrum* vocitabimus (fumosissima enim regio est, partim propter frequentissimos loci vapores, partim propter Terræ *Del Fogo* vicinitatem, quæ huic à dextris, etiam Geographorum omnium consensu aliquanto tamen propius adjacet) urbs est [c] *Cucina*, ædificiis satis quidem altis, ut fuliginosis olidisque constructa, à qua deducta quondam colonia fortassis *Cacuchinæ* nomen dedit. Celebre hic [d] Omasii divi templum est, molis ædepol vastissimæ, mille aris, ac focis totidem, iisque (si *Rucales* [e] *ferias* exceperis) perpetuis instructum: cujus in medio, pyramis ultra omnem excelsitatem, quæ manu possit fieri, fastigiata, Mem-

b Ad imitationem Plinii, apud quem bis occurrit *Album* *Promontorium*. Alterum in Africa: proœm. *l* 5. Alterum in Phœnice, nō procul à Tyro. l. 5. c. 19.

c *Cucina*, Italis *Culina* est: unde nos Angliæ *Kitchin*, adjuti pronuntiations Italica. d Quis fuerit, quære Cap. 11 hujus libri. e Statim post solennia, quæ genio loci quotannis peraguntur, respondent scilicet hæ feriæ nostrati *Carniu privio*.

phiticis

phiticis illis parum cedens, *f Cheminea* turris, assurgit, ac visendum longe belli signum dat circumjacenti regioni: ubi enim nostrates *g* palo editissimo in monte posito, pice oblito inflammatoque, suos monent imminentis ab hoste periculi, hi contra cessante fumo id faciunt, nam cum semel furvos in orbes glomerari desierit perennis vapor, indicio est hostes jam appropinquare, *h Hambrios* præsertim, qui præ omnibus aliis (ut cum Apuleio loquar,) huic genti formidamina sunt maxima: Villæ huic plurimæ subjacent, dominiumque agnoscunt supremæ urbis, *Charbona* pagus profecto amplissimus, & quod nusquam alibi cernes subterraneus: cujus sterili solo *Favillia* paulo ignobilior superstruitur. Hanc excipit *Tenaille*, viculus angustissimus, latissimusque *Batillii*, villarum par egregium: A sinistra famulantur huic *Assadora*, *Marmitta*, *Culliera*, omnes advenarum frequentia nobiles, quarum Marmittam alluit *Livenza* fervidus amnis, quem ferunt

f Caminus, Gallice, *Cheminée*, forsan à *Chemin*, via, quod fumo muniat egredienti viam.
g Beacons Angl.
h Hambre, Hispanis *Fames* est: insulæ autem *Famelica* descriptionem quære cap. 12. hujus libri. Propriorum nominũ significationem, ne marginem nimium oneremus, index sub finem libri explicabit: illo lectorem remitto.

24 horarum ſpatio bis ebullire: non ſecus, ac fons illi Peccanus Anglorum.

CAP. IV.

II. *Pamphagoniæ Provincia.*

Hiſp. *The coaſt of ſvveet-meates.*

ADjungitur huic amœniſſima pars Pamphagoniæ, tractus *Goloſinius* dactylis, amygdaliſque, ficubus olivis, malis punicis citreiſque & nucibus denique myriſticis coopertus: per quem limpidiſſimum flumen *Oglium* tacite diſcurrit. Heic *MarZa-pane* pulchra urbs, alteque turrita & deaurata, ſed nimium patens hoſtibus, cui imminent [a] *Zuckerii colles*, è quorum viſceribus dulce neſcio quid, albicanſque & durum effodi ſolet, [b] vix notum ſeculo priori, [c] quale veteres ex arundinibus Arabicis, Indiciſque petierunt: pauciſſimos heic videbis ætatis adultæ non edentulos, ſpirituſque fœtidiſſimi: *Seplaſium* urbecula huic proxima, quæ neminem admittit civem præter ſolos aromatarios, pyxidumque concinnatores; oppidum Viraginiis probè notum; quippe cui non parum

[a] *Zucker.* Germanis *Saccharum.*

[b] Galeni ævo vix notum.

[c] Plinius l. 12. c. 8.

: non
ngio-

tis.

iiſſimi
racius
ue, fi-
itred-
ilios
num
Here
eque
n pa-
ude-
ulce
rum
pr
bus
pa-
ultæ
idi-
oni
em
im-
gi-
on
m

parum indies cum hoc populo commercii intercedit, præsertim vero cum *Locanicis*, quæ specula cryſtallina ſolent horum paſtillis, & unguentis commutare. Iſtorum arti favet admodum loci opportunitas, & cæli munificentia; totius enim iſte tractus certis temporibus aromaticis trochiſis pro more grandinis confertim decidentibus contegitur; quam ego *αἰαθυμίασιν* eandem puto, quoad eſſentiam, cum aëreo illo melle, quo verno præſertim tempore quercus noſtrates imbutas ſæpe vidimus; ſola differt craſſitudine: nam ubi mel noſtrum guttatim ſpargitur, incraſſantur hi globuli intenſione mediæ regionis frigore, & cadendo reſultant.

CAP. V.

De III. Pamphag. Provincia.

QVinquageſimos gradu incidimus in planitiem *Lecanicā* a ipſa Pamphagoniæ viſcera, ubi occurrit nobis, primulum b *Cibinium* Vrbs, quod

a λεκάνη Græcis *patina* eſt: hæc ergo *Planitie: Patellaria.*

b *Cibin*, urbs eſt in tractu Danubiano, nunc ſub Turca ditione: nos ſignificationem ſpectavimus non ſitum.

quod interluitur Assagionis fluvii aqua acidula; in cujus foro tumulum cernas, ut ego ex literarum vestigiis conjectabam Apicii illius Romani, non elegantem hercle, sed antiquum, cancro marino insculptum: Et sanè fieri potuit (quicquid nobis obtrudat Senecæ fides) quod celebris hic helvo, postquam majores quos quã Galliæ suppeditassent, cancros disquisiturus Africã frustra petiisset, accepto hujus littoris rumore, huc tandem verterit proram, atque hic demum crapula perierit. Viderint Critici. Prætereo hic consulto pinguissimos *Offuliæ*, & *Lardanæ campos*: elegantissimam urbium *Mortadellam*: cujus mihi situs impense placuisset, ni sæpiuscule marinum salem, plus æquo saperet, pagum omnium fœtidissimum *Formaggium*, & in ipsis Yvroniæ finibus paludinosissimam *Mantecam*.

Volateran Antropol. lib. 13.

Festino ad regionis totius Metropolin, quæ una, sive structuræ formam, sive mores populi, sive regulas vivendi, leges desideret quis, instar omnium erit cordato lectori.

CAP.

CAP. VI.

Metropolis Pamphagoniæ: moresque populi.

VIllæ hic, sicubi alias paucissimæ: ut merito conjiceret istinc viator pagos omnes à civitatibus devorari: urbes non tam multæ quam populosæ & ingentes: quarum & mater & domina facile audit *Artocreopolis*. Fama est seculo priore duas fuisse civitates celeberrimas, *Artopolin* & *Creatium*: quæ (uti mos est potentioribus & locis & hominibus adeo ut ægre quidem se contineant, instructissimæ totius orbis Academiæ, utraque mea mater, altera etiã & nutrix, sorores germanæ, ab hac tam ingrata lite) de principatu diù multumque contendebant.

Artopolis vetustatem præ se ferebat; & sanè Saturni ævo, parem, imo æmulam habuit nullam: *Creatium* splendorem jactavit, amœnitatem, & potentiam: Coacto tandem Cõcilio, procerum omnium suffragiis vicit Creatium; scilicet illa est hujus ætatis iniquitas, ut quanquam caput ipsi jam olim incanuerit nive senectutis, sim-

ſimplici tamen vetuſtati nihil cenſeat tribuendum, præ ſuperba ac præcoci novitate. Illa altera jam prorſus neglecta conſenuit, ut nunc ne rudera aut veſtigia cernas tam magnificæ urbis; neque *Verolamium* noſtri vatis juſtius incuſet hominum temporumque injuriam, dum hæc nova nomen ſibi cum honore uſurpans, utroque exinde duplicato, *Artocreopolis* nuncupatur: Vrbs non tam elegans, quam magna: munita ſatis foſſa quidem lata & profunda, perennis aquę, quæ & omnes fere urbis plateas interluit, in qua mille cernas æqualiter diviſa piſciũ vivaria, cui etiam cygni, anates, mergi, ardeolæ, querquedulę, & quotquot aqua nutrit alites, ſupernatant, id quod ab iſtis prudenter cœpit *Auguſta Vindelicorum*: hæc autem foſſa *Grueſſa* dicitur: muros illi miniſtrat duplices benignior laniena, ex oſſibus pecorum quæ mactantur indies, ita diſpoſitis, ut majora tibicinum loco totam molem ſuſtineant, minora deinde ſuperſtruantur, minima vero medium in locũ coarctentur, omniaque cæmento ex vorum albuminibus confecto compin-

Spenſer. Ruin. Temp.

pingantur, miro artificio: Ædes nec pulchræ, nec pro aliarum urbiũ more altius constructę, ut non opus sit Augusto τὰ ὕψη τῶν οἰκοδομημάτων κολῦσαι, *ædificiorum altitudinem intra septuaginta pedes coercere*, quod Romæ factũ legimus, nec Senecæ locus sit aut Iuvenali, de graduum superstructuram conqueri.

Strabo. Georg. l. 5.

Lib. 3. Controvers.

Satyr. 3.

Σανιδώματα & gradus non curant, non ferunt cives, partim ob ascendẽdi tædiũ partim (ubi præsertim, quod solent, probè potarint) ob descendẽdi periculum: Illę omnes latioribus bestiarum scapulis, tegularum loco affabre contectæ: Vrbes ipsorum nullos agnoscunt cives nisi qui mensam spectant quadantenus: Agricolę, fabri, molitores, lanii in municipiis habitant: qui tamen ubi ad certam ventris molem excreverint, promoventur in civitatem, in quam nemo admittitur primitus præter coquos, pistores, caupones & gravissimos urbis senatores: qui quidem non, ut alibi, propter prudentiam, aut divitias, aut prolixiorem barbam, sed propter abdominis mensuram quotannis ritu solenni eliguntur, & quo quis

magis

magis crescit, illo provehitur altius: ita quosdam vidi ab infimæ & obscurissimæ urbeculæ mœnibus, suo quidem merito nobiliore adhuc donatos civitate tandemque in urbium celeberrima, Senatoria dignitate auctos: qui tamen ubi vel morbo (quod sæpe fit) vel ætate, statuto macilentiores evaserint, una cum carne pristinum honorem amiserunt: Plateæ, quod in tam incuriosa urbe mirabar maxime, stratæ marmore, tum quod (uti conjectabat) paulo laboriosius sit, neque prorsus careat periculo, ob inæqualitatem lapidum pedes altius elevare, tum uti sellę senatoriæ facilius promoveantur: neque enim pedibus unquam, aut equis, aut verò lecticis, ponderis causa forum petunt, vel publica convivia, sed sellis quibusdam amplissimis rotulatum quatuor gyris hac illac trahi solent, præsertim, hoc modo domum sedilibus suis affixi nutantes spumantesque reducuntur. Ad quatuor urbis rotundæ portas, totidem suis vicibus, indies sedent senatores; *Buscadores* appellant, intrantes & exeuntes quosque sedulo exploraturi, exeuntes

Hisp. *Inquisitores.*

tes quidem, num forte jejuni prodire ausint, quod ex ventris distensione facilime conjiciunt, reque jam comprobata reos duplici cœna mulctant, intrantes vero, quid secum ferant reduces : nec enim licet cuiquam aut non pleno ventre exire, aut redire non plena manu : Singulis mensibus quod ex legis præscripto illis non hercle reluctantibus indicitur, stata agitant convivia, quibus præsto sint oportet omnes urbis Senatores, de publicis negotiis finito jam prandio (nec enim licet impranso cuiquam ferre suffragium) deliberaturi : * *Pythonos-come* prætorio nomen est : Sedem suam quisque novit, & matulam habet in arcula sibi propria reconditam : Ubi postquam se vino calidissimo & acrioribus condimentis paraverint, suo quisque ordine discumbunt. Cupedia delicatiora in prima mensa semper apponuntur ; stultum enim putant optima ferculorum non maximo appetitu devorare. Nec illis licet (quod nobis usitatissimum est) apros, oves,

* Locus in Asia, ubi primo adventus sui tempore advolant ciconiæ, & eam quæ ultima advenit, laniant. Plin. li. 10. c. 23. Idem Solinus, alii perperam *Phririonis eumin* legunt ex Strabone.

capras;

capras, agnos, varias in partes disse-
ctos apponere: sed (quod à veteribus forte Romanis didicerunt) integra animalia machinis quibusdam patinariis, quales apud Petronium legisse memini, sudantes ministri apportant: Ante sex horas nemo surgit sine piaculo; diu enim & paulatim esitant, bibuntque, ob eandem plane causam, quâ fretus ille olim famosissimus helluo colium sibi gruinum optasse fertur: Discedendi vero tempus hinc metiuntur. Ostium habent in prætorio, satis vel amplissimo jejuni hominis abdomini accommodatum: per cujus angustias intrant adventantes convivæ; illac tentat quisque finitis jam epulis exire; si hæret aliorsum emittitur: quod si æque facile ac pridem jejunus, evaserit, moram illi imperat *Morum magister*, & introductum denuo quamlibet invitum, cogit discumbere, donec exeundo non sit: cujus quidem exemplo *VVilfrediam*-acum, lepidum examen sanctitatis, Catholicis hodiernis innotuisse putarim: Hortos ibi habent multorum profecto jugerum; sed invenustos;

Philoxenus, ut Arist. in Ethicis.

Olim nostratibus in *Castro de Bever.*

qui-

n,
diffe-
eteri-
inte-
ıſdam
nium
ri ap-
o ſur-
aula-
nderi
olim
ſi:
lend
Oſi:
am-
mic
uſt-
;:
ulis.
ur
e ju-
era:
de-
diſ-
ſit:
iam
tis,
ou-
m
s;
ui:

quique ultro cedant Adonidis, Alcinoi, aut verò etiam Langianis: in quibus frustra es, si expectas areolarum nitelam, & ordinem, aut pulcherrima florum pigmenta, consita hic potius cernes omnia raphanis, allio, bracteolis, muschatisque melonibus, quos hinc petiit lautior Italia, quantum epulum possit Centum dare Pythagoreis.

Illic videres frutice nobili caules,
Et utrumque porrum, sessilesque lactucas, Mart. lib. 3. Ep. 47.
Pigroque ventri non inutiles betas.

Sed & *Ptochæum* heic publicum est: in quo quotquot hydropem, aut podagram, aut asthmaticam passionem edendo ac bibendo contraxerint, de publico aluntur: Sed qui edentuli jam facti sunt præ senio, vel temera & incauta masticatione, in *Sorboniam insulam* relegantur. Habet quidem mancipiorum instar vernas plurimos, quisque ditiorum, agris hortisque colendis, vilioribusque officiis deputatos: qui tamen ubi ad justã magnitudinem pervenerint, donantur libertate: Si quis è nobilissimis regni proceribus crapula interi-

erit is demum (puta totus è selectissimis dapibus conflatus) servis propinatur deglutiendus , neque fas est tot delicias tam supino perdere. Viri admiraculum crasso corpore , obesoque , neque ille dignus est quem clauso labello salutes, cujus mentum ad medium usque pectus, omentumque ad ima genua vix dum propendeat, nec aliter se habent fœminæ, quarum formam Italæ aliquantulum , sed maxime omnium Barbaricæ , imitatæ sunt : ut ne nubere quidem permittantur virgines , donec publico examine facto, mammas suas mento parum demisso contigisse viris constiterit. Nudi ferè omnes incedunt, neque vestis illis curæ, solis Magistratibus quique notæ melioris, togis uti licet , ex illorum pecorum coriis, quę soli suis ipsorum faucibus vorare uno accubitu potuerunt : Singuli tamen cultellum una cum latissimo cochleari dextro brachio appensum gestant. Ante pectora modo , juxta Virgilianum illud *sola ferunt tonsis mantilia villis* ; quibus , ne quid pereat, guttulas decidentes excipiant, oraque abstergeant, illa vero usu

Barbarę fœm. catellos edunt pinguescendi studio.

usu nimio læviora ne an nigriora fuerunt, vix judicarit oculatissimus spectator. Tardissimo sunt ingenio, & ad omnes scientias ineptissimi: qui tamen quot curant artes, callent. Scholę tantum illic aperiuntur popinatoriæ, in quibus omnis juventus edendi, bibendi, scindendique scientia statim ἐξ ἁπαλῶν erudiri solet quibus *Archisilenius* quidam, exquisitissimus helluo tunc temporis præficiebatur, prælegitque Grammaticæ loco Fragmina quædam Apiciana: Instar bibliothecæ publicum est cantharorum repositorium, in quo omnes scyphorum ordines gradusque per certas classes disponebantur: Pocula, fercula, libri sunt, minora tyronibus, adultis, majuscula; huic cyathus, triens illi, alteri sextarius, gallina huic, illi anser, tertio agnus, apponitur aut perna: neque licentia, donec totum quisque pensum absolverit: quod si qui septenni ingluvie parum profecerint, exulant illico in *Famelicas insulas*, neque fas istic morari diutius: quin & huc relegantur Medici, & quisquis diætam cuiquam præscri-

Test. Suidas hunc libros de gula scripsisse.

pſerit: quiſquis ægrotat (quantumvis refragante Aſclepiade) radiculam edit, quod jubet Celſus, & paulum calidæ imbibit, vomitat, & purgatur illico; quodque egeritur hoc modo, res fiſci eſt. Ferina caro maximis ibi in deliciis, quā tamen venatione captare nequeunt, retibus tantum ac laqueis damas ad ſe ultro venientes implicant: ſed & ſuem animalium omnium & utiliſſimum reputant & * optimum; ſive ob quandam morum ſimilitudinem, quam norunt menſæ ſoli à natura comparatam, ſive quod cibo non hercle lautiſſimo ſaginata, omnium nutriat impinguetque citiſſime. Quis denique crederet cum tanta rerum profuſione parcimoniam poſſe conſiſtere? quam tamen (hic fateor peſſime locatam) in minimis quibuſque fruſtulis, oſſibus, miciſq; ſervandis obſervavi maximam: Ideo canes non alunt, non felem, non accipitrem, nec quid præterea carnivorum: imo cum quis columbam capumve ſibi parari curat, grana jam cruda, & in imo ejus ventriculo diu ſepulta erui jubet, & reliquis apponi, quod ab illis Veneti hodi-

* Plato Comic. apud Clemēt. Alexandr. Stromat. 7.

hodierni opportune didicerunt. Quinimo si quis ad putredinem usque vel tantillum cibi apud se servarit, statim religatur ad palum, Excepto quod ferinam licet reponere donec lanugine quadam obducatur; & (quod vix præ nautea memorare possum) caseum vulgo tam diu servent, dum totus in vermiculos resolvatur, & tum demum viva animalcula ipsam putidissimi cibi putredinem, paulo sacchari adspersa, nimis avide vorant delicatissimi Epulones, quem sane pessimum morem demiror Germanos inferiores istinc mutuatos. Fluminibus abundat regio, quæ incerto motu fluunt refluuntque pro egestionum infinita copia, sed semper ineunte Ianuario, & Februario exeunte, ripas prætergrediuntur, & minantur vicinis pascuis.

Cap. VII.

Bella Pamphagonum.

Cum duplici quidem hoste Pamphagones ἄσπονδον πόλεμον gerunt; Insularibus Famelicis sive Hambriis, & Frugioniis: Illi non

procul ſitu ad Occidentem in Aethiopico Oceano, ut ſuo loco narrabimus, hi remotiores aliquantum, interpoſita Moroniæ parte maxima, aliqua Viraginiæ. Narrant hiſtoriæ Hambrios inito cum Larciniis fœdere terram hanc invaſiſſe ſæpius, ſemel vero viciſſe, quo tempore incolæ ſylvis & caveis quibuſdam ſubterraneis miſere ſeſe abdiderunt, donec loci numina precibus illorum votiſque tandem commota, novam gentem ſuis ipſorum faucibus interemiſſent: tantum enim ipſi poſt tam ſubitam mutationem ingurgitarunt, ut morbis inde contractis, ad unum omnes intra triennium ultro perierint, ſæpe etiam, ſed fruſtra pedem hic ſuum figere tentarunt incolæ veteres, Frugionii: qui tamen (uti fortuna deteriorem plerunque in partem vergit) nimium felici Pamphagonum ſucceſſu repulſam paſſi ſunt. Ad bellum prodeunt, anteriore quidem parte (nec enim ſe poſſunt fuga liberare) coriis bovillis, pellibuſque lanigeræ ſetigeræque pecudis, villiſque caprinis induti, ut armentum tibi aliquod à longe intuenti adaquatum

tum duci videretur, verubus furcisque culinariis armati fere omnes: sunt tamen qui balistas arcusque è boum maximorum costis gerant: Sed Yvrones nati magis ad bellum, mutuas (ubi opus est) istis suppetias ferunt, sine quorum opportunis auxilii Pamphagones proculdubio diu ante hac succubuissent.

Cap. VIII.

Vcalegonium, urbs libera.

Sed adhuc intacta mihi, non tacenda tamen, *Vcalegonium*, libera civitas, ditionis amplissimę, in ultimis planitie *Lecanicæ* finibus, Moroniam versus, constituta, qua nullam ostentat Pamphagonia vel magis antiquam, vel stupendam magis: cujus (uti fertur) cives quovis Monacho feliciorem vitam degunt, quippe suppetit istis quicquid usui esse possit abunde. Inprimis, munitissima est ipso situ loci, planeque inaccessa, ut inanes hostium insidias & incursitationes merito ridere possit: Insidet enim altissimę rupi, maximeque præcipiti, per milliaria Germa-

villa otiosa, Vcalegon ille Virgilianus dictus ab οὐκ ἀλέγον *parũ curans*, ut nos olim docuit noster Dunæus in suis Lectionibus.

nica decem continuatę; per cujus cavam vallem *Oysistium*, flumen an stagnum, nescio, lentissimo pede serpit. Vnicus tantum patet incolis ascendendi locus, via unica, nec illa gradibus quibusdam, uti fieri solet, sinuosis, sed (qui puteorum mos est) demisso fune ac corbe viminea: Alimentum istis suppeditant aves huic loco peculiares, nec visendę alias: *Gutiges* vocant accolæ, fulicis non absimiles, idque triplici modo, nam præter carnem suam & ovorum congeriem, maxima piscium copia, prolis enutriendę gratia nidos suos instruūt indies, fereque obruunt, quin & foco perenni inserviunt aggesta istarum nidis virgulta. Quid ultra desideres? etiam plumis mollissimaque harum lanugine lectos sibi conferciunt cives: Pars interior vitem producit generosissimā, lætamque segetem, Nec quid aliud est quod Vcalegones vel non habent, vel non curant. Hic ergo incuriosissime agit ętatē populus, vel *Apulejano sensu verè incuriosus, cœnant, dormiunt, surgunt, prandent, recumbunt: Exulant lege Sybaritica

Hæc fere omnia cernuntur in castello quodam apud Scotos.

**Agnum incuriosum* dixit, pro pingui.

non

non modo Galli omnes, sed & omne genus artificum, Agricolas enim soli hic agunt porci, quod antiquitus factum AEgyptiis; nec reliquis est opus: sunt tamen ditioribus ministri, quorum alter expergiscentis oculos aperit lenta manu; alter edenti ventulum facit flabello, alter frusta hiantis ori immittit; excipit alter urinam, alter cingulum solvit nectitque domino sat est ingestum ori cibum mansitare, digerere, egerere: Sub Vcalegonii præsidio delitescunt & aliæ urbes, iisdemque fruuntur privilegiis, *Lirona* & *Roncara*, nisi quod fere semper dormiant cives, & quod de ursis Plinius, tam gravi somno premantur, ut ne vulneribus quidem excitari queant, mirumque in modum hoc veterno pinguescant.

Liron Hisp. *Glirem* sig. *Roncar* Hisp. à Latinis, Latini vero à Græco ῥέγχεται, *stertere* petiverunt. Plin. l. 8. 36.

CAP. IX.

Leges Regni.

PYthonof-come prętorium profecto amplissimum, & fenestris undique patentissimum in ipso propylæi frontispicio aureis literis scrip-

tum exhibet *a* Σχολῇ ϗ τάξει *b* : Mediæ vero columnę appenſas ſacras legum tabulas, in hanc ferè ſententiam :

a Pars ſententiæ Syneſianæ: τὸ θεῖον σχολῇ ϗ τάξει βασιλεύει. *b* Sub quo carmen lingua Pamphagonica *Gaudentum locus eſt: procul hinc diſcedite triſtes.* Quale ſcriptum Bononiæ eſt in foribus prædii *Caſaliutula.*

1 *Μονοσιτία ſcelus eſto.*

2 *Ferculum pateramve plenam qui temere dejecerit, vaſculum juris breviſſimo cochleari, ad talos poſitum, rectus abſorbeat.*

3. *Nemo ſolus edat, ne privato domicœnio impune violet menſæ aut leges, in plateis diſcumbunto cives, aut propter feneſtras undique adapertas.*

4 *Integras quatuor horas quiſquis à ſommo jejunaverit & defraudaverit Genium, bis cogatur cœnare.*

5. *Ore jam pleno, recto digito reſponsa diſſe ſat eſto.*

6 *Læſæ majeſtatis reus fame pereat, culpæ levioris dente mulctator.*

7. *Coquorum quiſquis ita malè tractaverit opſonium ut edendo non ſit, palo publico ſuffigatur, juxta quæ appendatur caro ſemicruda vel ſemiuſtulata; donec miſertus quis famelicus ſpectatorum*

rum, totam comederit.

8. *Eructare non liceat modo (quod Cæsarum nonnulli decreverunt) sed honorifit, quique maximè viriliter, clarè, & strenuè ructaverit, symposiarcha proximi convivii ordinator.* Sueton. Claud.

9. *Quisquis, dum * cingulo tentatur; spiritum continuerit, inhabilis ipsofacto redditor: Et per totum diem jejunus carceri damnator, ita quidem cancellato, ut reliquos proceres possit epulantes contueri: quod supplicium nonnullis fuit capitale.*

* Rationem hujusce legis quære capite sequente.

10. *Quantum quisque comederit, commensalis hebdomadatim ad prætorem deferto, ut si præscripto minus absolverit, pœnas, quibus dignus est, luat.*

Qui levissime peccaverint, diem totum carceri includuntur, quem illi *Templum Famis* appellant, contrà quam nostrates suū *Betlee-hem*. Illud extra urbem positum, ut AEsculapii apud Romanos, non salubritatis gratia, quod de illo Plutarchus, sed ne istuc damnati, vel aura culinaria vescerentur: cujus parietis vivis omnium ferculorum figuris (quæ frustra moveant captivorum appetitus)

ci, cujus fere ſolius agnoſcunt numen; qui forma maximi voraciſſimique alitis (*RVC* appellant incolæ) conſpicuum ſe præbet quotannis, expectaturus ſuorum vota: Huic illi crudas offerunt Hecatombas, hoc modo Vaſta planities *Lecanica* eſt, ab Auſtrali parte montibus undique, circumcincta: huc convolant certo die incolæ ad unum omnes, ducuntque ſecum innumeram vim omnis generis pecorum, jumentorum, alitum: Elephantos, rhinocerotes, camelos, quos in hunc diem ſaginant (neque aliter moris eſt tam inutile genns animalium ſervare aut paſcere.) boves proceriſſimos, apros, oves, capras quin & aves, quotquot ſunt nudas atque deplumes; quaſique includunt in ſpatioſiſſimam hanc caveam: Ipſi, per montium latera velut theatri alicujus gradus ordine diſpoſiti, flexis genibus expectant ſui numinis adventum: Tandem ingenti clangore, ac confuſiſſimo ſtrepitu & ronco, à longe conſpicias ſacrum alitem, adunco roſtro, falcatis unguibus, oculis micantibus mira caterva Harpyjarum,

cor-

corvorum, vulturum, accipitrum undique ſtipatum: Advolant horrendo ſtridore, & jam ad inſtar denſæ nubis vallem ſubjacentem numęro & pennarum umbrâ tegunt, ſolemque & cęlum adimunt; Ter circumuolant planitiem, dum incolæ exclamant, precantur, tremunt, gratulantur. Dux avium animadvertit ſibi prædam, & ex toto agmine ſeligit quicquid palato maxime arriſerit, nunc duos boves, nunc elephantum rapit, dein ſtatim alites reliqui pro ſuo quiſque modulo & appetitu in reliquum agmen irruunt: hunc vitulo, illum agno, apro alium, alium anſere vel cygno videas onuſtum: quo ſubinde facto, omnes non ſine canora populi acclamatione avolant, & intuentium oculos effugiunt: Quicquid ſupereſt (quod ſane plurimum ut ſit neceſſe eſt) illo ipſo die à populo iſtic diſcumbente conſumatur jubet pietas; quo ſic ſe nimium replent, ut per dies fere quadraginta carnem faſtidiant, & exinde piſcibus, ſed ſumptu longè majore, vino coctis conditiſque, & dapibus Goloſiniis, veſcantur, cum, ut

In Larciniæ ſylvas, ibique degunt: quære l. 4. c. 4.

ut ſe recreent aliquantulum tanta ferculorum varietate, tum ut eo acriore animo carnem diu neglectam aggrediantur: Vnde religioſam Quadrageſimę obſervationem in regionibus Pontificiis etiamnum crediderim invaluiſſe.

Cap. XI.

Electio magni Ducis.

FEſtino ad Palatium magni Ducis quo me duxit meus Genius feliciter, illo ipſo die, quo novus princeps pro more regni creabatur: In Iſthmo plane medio inter utramque provinciam ſita eſt arx longe auguſtiſſima, quam ferunt olim ſtruxiſſe *Omaſium* quendam Gigantem, vaſtæ molis, parem, non illi, cujus effigiem noſtrates Academici è vicino colle exciſam inviſunt & admirantur, ſed illi potius quicunque fuit hominis monſtro, cujus binos dentes maxillares è puteo quodam Cantabrigienſi effoſſos vidi, vix humano capite minores, quibus profecto dens ille, in Vtinenſi littore repertus authore Sigeberto, ſponte cederet; Nanus erat

a 7. Cubitorũ, Plin. lib. 7. c. 16.

b Cubitorum 16. quod tamen Oti putabatur.

erat huic homini comparatus a Orestes ille Plinii, aut b Orion Plutarchi: Finge tibi potius Antæum cubitorum 60. aut illum, cujus cadaver non procul à Drepano refossum, 200 (ut ex osse coxæ conjectari licuit) cubitorum refert Bocatius: hunc ego germanum hujus fratrem autumarim. Scilicet hic primus regionem hanc, olim sub Frugionæ ditione positam subegit, ejecit priores incolas, novos populos dedit & jura nova: Cujus animam putant monstrosissimi alitis formam, errore Pythagorico, induisse: eumque quotannis hoc nomine, uti diximus, stato die venerantur. Non secus iste à misella plebecula, ac Mahumetes à suis Turcis ubique colitur: Heic in spatioso arcis atrio cernas monumentum hujus memorie sacrum, statuam visendæ altitudinis, antiquo *Lysippi Colosso æneo haud parum sane proceriorem, juxtaque tumulum, in quo signaturas quasdam vidi, sed invida vetustate ita corrosas, ut non facile sensum aut verba eliceres, juxta illud Ovidii,

* Aut *Charetis*, discipuli hujus Lysippi, altitudine 70. cubitorum.

Sed

——————sed longa vetustas
Destruit, & saxo longa senecta nocet.

Sic se habebant liturarum reliquiæ:

Ego sic censeo restituendum: penes lectorem esto judicium.

OMASIVS FAGONIÆ DVX, DOMINVS, VICTOR, PRINCEPS, DEVS HIC IACEO: NEMO ME NOMINET FAMELICVS, PRÆTEREAT IEIVNVS, SALVTET SOBRIVS: HÆRES MIHI ESTO QVI POTEST, SVBDITVS QVI VVLT, QVI AVDET HOSTIS. VIVITE VENTRES ET VALETE.

Hæc regia Ducis est, quem ille primus legislator voluit non certo, ut alibi, imperio frui, sed anxio semperque mutabili. Nam ex honoratissimis regni familiis, quæ multæ sunt

ſunt, *Mentonum, Bucconum, Ventriconum, Palatinorum* cuiquam licet ducatum ambire, & , ubi meruerit, vendicare: ſic ergo ſe habet Ducis electio: Quotannis inſtituitur ſolenne certamen, quodquidem non lanceis aut currubus, aut remis, ſed dentibus peragi ſolet; ubi qui vicerit, præter Coronę pampineæ honorem, regni Seneſchallus Duci proximus exinde ſalutatur: Finito certamine ſurgit quiſque, ac tangens ſacrum Omaſii tumulum, Bacchum jurat & Saturnum, & ipſos Omaſii manes, ſe abſque fraude ac dolo malo negotiũ hoc ſequens tractaturum; dein ſuo ordine theatrum conſcendit, hunc in diem non nimis altè concinnatum, futurum examen ambitioſe expectaturus: Tandem prodit novus Seneſchallus, cingulum fereus aureum, gemmis probè ſtipatum immenſæ quidem longitudinis, *Sacram Zonam imperii* vocant indigenæ; cui verbum intextum animadverti, *Si nihil ultra*: qua ſe primus omnium induit dux prior, notatque abdominis ſui menſuram, ſequuntur hunc ſuo quiſque loco proceres reliqui; quicun-

que

que vero cinctorium iſtud non diſtento ventre nec recento ſpiritu ſic urgere poterit, ut altiore adhuc foramine opus videatur, maximo acclamantis populi applauſu *Dux Crapuliæ* ſalutatur: Cui ſtatim regius pocillator flexis genibus amphoram porrigit ampliſſimam, monetque populo ſuo propinet ſaltem: ſalutem: Is vaſe arrepto, apertoque, concionem habet ad populum ſi poteſt, congruam, ſin minus, blandam certe ac benevolam: Cui ego & aurem adhibui & animum, ſed (quæ illis gutturalis locutio) ſonum horrui, ſenſum non intellexi: ſummam percōtāti ſic reddidit interpres: Poſtquam, inquit, gratias habuiſſet ingentes Baccho, Carneæ deæ, & nigellis quotquot ſunt numinibus, & in primis imperii largitori Ventri, qui illum ducem maximum creaſſent hodie, ſuiſque oculis gratulatus eſſet qui ſe, priuſquam exciderint, ducem potentiſſimum intuerentur, ad populum ſe convertit, ſuaviſſima oratione, Omaſium ſancte jurans libertates ſe noſtras propugnaturum, promoturum, negotia, hoſtes fugaturum

turum

turum, ſequuturum conſilia, foturum ſtudia, vota ſuſcepturum, laxaturum gulas, menſuras ampliaturum, denique quales ſumus ſervaturum, facturum quales eſſe deſideramus. Dein Fami, Abſtinentiæ, Diætę, malæ cerviſiæ, Macilentiæ, hoſtem ſe accerrimum profeſſus eſt, juravitque denuo neminem ſe præſide jejunaturum impune, neminem ingratiis græcaturum: Quare, inquit, agite, per ſanctam ſaturitatem, eſtote ſemper hilares, & quando poteſtis, obſequentes: & ita ſuaviter intret, tutoque exeat pulchellus iſte cyathus (quo dicto vinum lentius ebibit, fundoque vaſis inverſo labrum pollici, pro more applicat) ut ego vos ſemper ebrios, ſaturos, fortunatos cupio: Populus læta voce cælum implet ingeminatque;

Cagaſtrű vox eſt Paracelſica, oppoſita *Iliaſtro*: & nos petimus à κακῆ γαςρί.

Cagaſtrius (ſic enim illi nomen) *auguſtiſſimus Crapuliæ Imperator, vivat, regnet, creſcat.*

Inſignia regni ſtatim illi tradita ſtruthiocamelus ferrum vorans, cum verbo *Digere & Impera*: & denique pro faſcibus, gladiove, aut ſceptro, cultellum una cum doliolo au-

reo

reo in manus ipsi dedit Seneschallus, & solenni verbo dixit, *Vtere & fruere*. Prætereo lubens struices qua illic vidi hac nocte patinarias, montes, carnis, vini torrentes, id unum silere nequeo, compita omnia nocte hac, ita strata fuisse vivis ebriorum cadaveribus, ut victorum hostium castra solent post maximam stragem. Nihil ferè habent in se singulare urbes reliquæ *Devoracum*, *Porcestria*, *Sarcoboscum*, *Vernlanium*, *Lingastrum*, quarum mores habitusque ex una facile colligit Lector.

CAP. XII.

Insula Famelica, vel Terra d'Hambre.

EXcidit nobis insulæ *Famelicæ* mentio. Illa (ne quid lateat lectorem) longitudinem habet gradum 330. latitudinem vero 54. opposita quidem ab Aquilone Cap. Blanco, ab Austro aut paludi Tryphoniæ: Terra pætrea, montosa, infœcunda, nuda, arenosa, arbores heic aliquot, sed decorticatæ, calvæ, quæ nec fructum ferant, nec frondes: quin neque

que flos nec gramen (quod alibi virescit injussum) uspiam hic crescunt. Veris hyemisque vicis nescit solum exsuccum, & plane demortuum, sive quod herbas frondesque primulum enascentes carpant, vorentque avidissimi indigenæ, sive id fiat iratæ Cereris imprecationibus, quam ferunt (dum filiam jam nuper amissam, maria, per terras sollicitè disquireret) incidisse in hanc insulam, & in ejus scopuloso littore naufragium passam fuisse, ac proinde diris devovisse hanc terram, ac jussisse, ne quid istic deinceps nasceretur. Incolarum nemo sedet hic volens, sed exilio è sua terra ejectus : hi omnes colore sunt fusco, & subpallido, cute dura, contracta & Elephanti more hiulca, omnium quos sol vicit macilentissimi, ut σκελετόν tibi aliquod nova cute obtectum, aut hominis umbrã referat quis horum cadaverosus hospes : Videbis hic alium muscis insidiantem, vermiculis alium, nec desunt qui terræ cutem radunt cultello, ut abditas quærant herbarum radiculas, quin & sibi mutuo, ubi licuerit, prædæ sunt; quod à se

pru-

prudenter factum Ariſtotelica regulæ defendunt; etenim creſcente hoſpitum numero neceſſe eſt creſcat rerum omnium indigentia, nec quem liberat advenam novitium niſi vel robur, vel macilentia.

Fabri ferrarii ferè ſunt omnes, quanquam & Pamphagones Philoſophos huc omnes ac medicos relegent, & Hiſpani omne genus libertos. Terribilis formæ beſtia per hujus inſulæ deſerta paſſim oberrat, *Nuchtermagen* vocant, ἀκέφαλος, quæ horrendiſſimo latratu cælum implet, quem ſonum qui ſemel duodecim horarum ſpatio non audierit, ſurdeſcit illico: ter vero qui audierit: nec quid prædæ objecerit ante horas duodecim, moritur. Alia hic animalia, præter lupos & Cercopithecos caudi aliquantulum curtos, nulla vidi.

Compoſita vox à duabus Germanicis: *Nuchter*, Iejunus, & *Magen*, ſtomachus, ũde Anglicum *Mavv*, g reſoluto in vv, Cercopitheci caudas ſuas devorant, famis impatientes.

YVRO-

YVRONIA, ALTERA Crapuliæ provincia.

CAP. I.

Ingenium Populi.

Terra ebriosa.

YVronia aggredior : cujus nemo accuratam à me descriptionem exſpectet, neq; enim auſus ſum illorũ urbes inviſere, donec jam obtenebreſceret, cum jam cives ſomno vinoque ſepulti. Quid metuerim mihi rogas : neque hoc invidebo Lectori; *Burgo-magiſtrorum* largitatem, quibus in more eſt adventantes quoſque hoſpites, neſcio quot vini congiis excipere, adventumque illis munificentiſſime gratulari, publicis impenſis ac nomine civitatis, quos ebibant ipſi omnes neceſſe eſt, ni ingrati, & (quod pejus eſt) reipublicę hoſtes haberi mavelint. Metuebam mihi ab hoc honore, & periculo: Regio eſt aliquanto major Pamphagonia, tantoque intemperantior quãto illa opulentior. Latitudine utrãq; Germaniã vel adæquat vel ſane ſuperat. Nulla regio eſt ubi vel u be-

AME
MER
NAL

S.t Domingo
S.t Iuliano
Dunius portus
Lauerniæ pars
phonius flu.



uberius proveniant uvæ, vel felicius, adeo ut, quæ singulis Europæis gentibus propriæ sunt, Germaniæ albiores & tenuissimæ, Galliæ rubicundæ, pauloque fortiores, Hispaniæ colore medioxumæ, virtute generosissimæ, omnes istic abunde crescant. Temperie aliquantulum à Pamphagonibus discrepant: illi calido & sicco delectantur plurimum, hi calido & humido; Illi proinde culinarii & furvi, hi cellularii & rufi *Crapuliani* à vicinis loco nuncupati: Neque minus ingenio, tanto enim Yvrones illis disertiores sunt, quanto magis impudici: ineunte quidem ætate plerique omnes ingeniosissimi sunt, provectiore vero & præsertim decrepita, ita obliviosi, ut vix sui nominis meminerint.

CAP. II.

Yvronia tributa in suas partes.

PRovincia hæc in tres pręcipue comitatus ab incolis distinguitur;

Triplici potus genere

inebriantur potatores. Vino, cervisia, aquis elambicatis vino calidioribus; hinc tres Yvron. partes. 1. *Oenatria*, ab οἴνῳ unde *vinum* Latini. 2. *Tyrania* à πῦρ, & οἶνος 3. *Houbel*. Gallis *Lupulus*. Hinc nomen Anglicum, *Hoppe*.

Oenatriam vel *Ponfiniam*, *Pyræniam* vel *Zythæniam*, & *Lupulaniam*, quæ & aliis *Houbelonia* dicta est.

Quod ad *Ponfiniam*, (vocabulo ut ego putabam corrupto, *P*, pro *B*, *F*, pro *V*, more Germanico male pronunciato) *Mejonium* salsum flumen hanc à Pamphagonia scindit ab Occidente, ambitque ducis regiam: cujus tamen undas non quidem à mari derivatas putant accolæ, sed ab aëreo quodam fluore conflatas, Continet illa in se multas urbes egregias, Hic enim in primis occurrit mihi *Pãpinolæ*, vel *Ampelonæ* viculus quintuplex, qui per Olmios se colles pulchrè diffundit, & usque ad Traubenam urbeculam, pro lateritię materię colore rubicundam, porrigitur. Ima in valle quæ *Torcolia* dicitur, Licoris elegantissimi fluminis nativum cubile est: per cujus amœnissimas ripas, plurimas vidi civitates hac illac undiquaque sparsas, non sine prudentissimo delectu fundatorum, *Bacheram*, *Krugtopolin*, *Chytræam*, *Cadillam*, ligneo muro circundatam: Reliquus sane orbis, quaqua patet, flumen huic uni conferendum nullum ha-

habet: *Danubius, Tamesis, Volga, Tyberis, Sequana*, aut ille *Gujanorum Raleana*, præ isto plane sordent: nam præter limpidissimorum tacitèque labentium fluctuum lascivos errores, aqua dulcissimi saporis est, quæ nec optimo novit vino cedere, nec mellitis Turcarum poculis. Peculiare quoddam piscis genus sibi vendicat hic Oceani filius natu maximus, *Pistrin* minorem; indigenæ *Sprukvvall* vocant; cui mos est maximam liquoris mustei copiam è cavo vertice in altum egerere; quem vicina gens scaphis excipit studiosissimè; domique adservat: Hic inter decurrendum *Faesseram*, urbem herclè ingentem oblongam invisens, divortit tandem per latam vini cellæ planitiem, ad Metropolin hujus provinciæ *Zouffenbergam*.

Hoc nomen indit Gesnerus huic pisci: nos *Vvhirlpool* appellamus.

CAP. III.

Zouffenberga Metropolis Yvroniæ descripta, & sub hac, Yvronum habitus, moresque.

ZOuffenberga, ignoto mihi nomine, nisi quod sonum Germanicum

nicũ præ ſe ferre videbatur , colli ſuperædificata κανθαροειδὴς apparet, quaqua vorſum aſpicienti : urbs valde celebris, & emporium ſitus beneficio commodiſſimum: ex Orientali parte doliorum aggeribus probe cincta eſt , quorum etiam coſtis domunculæ omnes obteguntur. In ipſo portæ veſtibulo ſita eſt à mane ad veſperam ex inviolando legis præſcripto Amphora prægrandis ; *Poculum hoſpitale* ſua lingua vocant cives, cujus anſæ inſculptum eſt vetus illud, ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι, quiſquis ingreditur, aut totam ebibit, aut ſiſtitur Magiſtratui , rationem contumaciæ redditurus: Superne ſculpta vidi urbis inſignia , Hirudinem nudo pedi inhærentem , cum verbo juxta poſito , PLENA QVIESCO : Hic ego perquam certe opportune conveni hoſpitem jam urbem ingreſſurus , hominem peregrinum gente Loçanicum , qui ſe ſua lingua * *Cinglionem* nominabat. Is me ſub veſpera clanculum introduxit, ac multa docuit , quæ ipſe nullus deprehendiſſem : Ædificiorum & materia & ſtructura non abſimilis Pamphagonicis , niſi quod anterior pars

* Itala vox à ſono deſtillantis vini petita.

pars domorũ vite continua ſic prorſus obducatur, ut ni undiquaque penderent Tabernarum inſignia, profecto in media te vinea putares obambulare: ſpectaculum hercle non injucundum. In foro publico æneis ſuſpenduntur catenis ſingularem menſurarum exemplaria ſigillo regni ore ſummo conſignata; juxtaque legum ſacrarum tabulæ, quas etiam nos paulo poſt fideliter commemorabimus. Nudi incedunt incolæ, niſi quod omnium tempora pampineis corollis adumbrentur. Cute tamen mire depicta, veterum Britannorum more: Hujus quidem Centauri, illius Tragelaphi, alterius columbæ, alitis bibaciſſimi; eſt & quem certas Amphoræ forma tam artificioſe ſuperinductum, ut brachiis lateri incurvatis vivam jurares amphoram: Vidi & qui Balænam ita pulchrè referret, ut illo vomente, nemo non putaret & hunc Cetum, & quod ejecerit, Oceanum. Ardebat mihi animus publicum convivandi morem, clam civibus intueri, Cui demum annuit hoſpes, quanquam non ſine plurimis, iiſque ſeriis periculorum præ-

monitionibus, morumque documentis; quibus ego probe instructus ad prætorium, ubi convivia solent agitari sub noctem una cum fido duce, me contuli: Confluunt, discumbuntque eodem plane more quo Pamphagones prius, nisi quod istic plus poculorum observavi, ferculorum minus: Vase duplici stipatur quisque ex utroque latere, matula, qua urinam, trulla qua vomitum excepturus est. Initio quidem libant Baccho, communi deo non illo more quo Romani olim paulo vini diffuso humi, sed longe religiosiore: Iuxta summum mensę Bacchi statua erigitur, tenentis dextra quidem ingentem crateram, dum præ nimio pondere (quod Virgilius olim) fessę subvenit læva sorori: Huic sacerdos supplicum convivarum nomine cadum vini (neq;enim minus capit) jugiter infundit, quod per cavos quosdam tubulos, veluti tot venas ad os usque & femoris juncturam derivatur, atque ita erumpit, quasi vinum simul & evomere, & mingere videretur: Hæc autem illis Clepsydra est moderando convivio; postquam enim

nim is egerere desierit, istis ingerere religio est. Dein salsamenta non unius generis opponuntur, placentæ salitę, haleculæ, & salibus exesæ chalcides, pernæ plus-quam VVestphalæ, radices carduorum sylvestrium, Anchoviæ siti proritandæ. Tum statim plena circumvolant pocula, sonantq; vacua, ut vix demum statueres impletane fuerint ut evacuarentur illi Gręco, an exhausta ut implerentur: &(ut Plautinus ille) scaphio, cantharis, batiolis bibunt: Præbibiturus alteri solenni cantiuncula illum provocat, dein, dextris arctius conjunctis, concussisque vehementius, poculoq; ori ejus fere admoto, rem aggreditur; & post multas interspirationes, remissosque spiritus, & blandas sermocinationes ansam poculi non deserit, donec totum epotarit, pari modo respondet alter, Mensa secunda ferculis non ita magnis ac opiparis instruitur quam etiam nova potione contemperare solent. Demum & tertia rarissimo fruticum apparatu pulchre instauratur, qua fere finita, mappaque jam provoluta, Magister ceremoniarum, clara voce *Gesundheits*

Exulat hinc illud Gręcanicum, in veterum etiam Romanorum conviviis usurpatum: ἢ πίνε πίνε, ἢ τρία πίνε ἢ μὴ τέτταρα. Plutarch. συμπόσ. decad. 3. Athen. lib. 10. Plautus in Stiche.

heyts ter præconatur : Quo ſomno ſciolus ego dimiſſam putavi turbam, diſceſſionemque meditatus, movi pedem; quum manicam mihi leniter vellens, hoſpes, Hui, tam cito, inquit ſomniculoſe ſpectator vix dum incepto convivio ? en tibi ut non languido curſu defluat Bacchi clepſydra; mane paulum & ſcenæ hujus cataſtrophen patienter exſpecta, Parui, ſtetique: Cum unus è convivis exuta corolla, flexiſque genubus, velut nota facturus, ſextarium arripit, & *Salutem*, inquit, *Cagaſtrio potentiſſimo Crapuliæ Archiduci*, Bibit, anhelat, reſpirat, eructat, ſermocinatur, donec poſt certa quædam intervalla, totque hauſtus, quot nomini ſuo literæ, fundum inverterit, quo facto, κοτταβίζει, & (quod Horatius) *mero tingit pavimentum ſuperbo*: ſequitur à ſummo quiſque, iiſdemque poculo, facto, & geſtu fidum ſe comprobat civem ac benevolum, quodque mavult ſtrenuum potatorem. Aſſurgit ſtatim alter, & Bene vos, inquit, bene nos, bene celeberrimam & anguſtiſſimam Zouffenbergam: clareque interim ructat, incur-

curvato genu, bibit, ebibit, nec quis audet non ſequi, Tertius Yvronæ nominat honorem procerésque, unicuique ſuppetit aliquid, quo reliquos pelliciat ad novos hauſtus. Tandem cum una æque pocula potitavit quiſque, quod ſplenem mihi movit maxime, poſt hæc ſeria, ordine ſuo poetam agit unuſquiſque Muſis omnibus invitis, ſolius Bacchi numine, ac ἐνθουσιασμῷ: æmulus ſcilicet antiqui moris, cujus meminit in ſympoſiacis Plutarchus, cantilenam. quiſque ſuam modulatur; inſtar lyræ erat poculo inſonans cultellum: & pulſatum eſt ędipol harmonice: Alter amicam ſuam laudavit, alter Dionyſii virtutem prædicavit, alter quæ res ſibi cum uxore domi erat, propalavit, ut ſuccurrerit mihi ſtatim illud vetus Laberii:

Ebriulati mentem hilarem accipiunt,

Alter ſalſo carmine in abſentem luſit, omnes numeris (ut mihi videbatur) plane Anacreonticis; Dignum patella operculum: Interim dum hæc fiunt, quot ora hominum, tot diſcrepantes affectus conſpexiſſes, Hunc præ mero amore ſocio alla-

Vere de iſtorum quopiam dixerit Horatius: *Aut insanit homo aut versus facit* Ab hoc more proculdubio petitum eſt illud Græcorum *διθυραμβοποιῶν νῦν ἔχεις ἐλάττονα.* Vt interpres Ariſtoph. in Avibus. Nonius.

chrymantem, illum oscula libantem proximo, alium in risus immodicos solutum, alium devota mente Baccho provolutum, alium, *cui poculum non citius allatum est, stomachantem, jurantemque centum mille Diabolorum myriadas, alium nutantem & simul ore spumantem. Ab initio autem convivii, quoniam ita lubrica sunt plerique memoria, ut officii sui facile obliviscantur, adsidet paulo altior Notarius publicus, *Auffzeihner*, qui haustus quosque in tabellas velut acta publica refert, quid quis, cui propinaverint, sedulo describit, finitaque cœna, modo quis auscultando fuerit, recitat.

* ἀγριαθέντα τῇ τοῦ πώματος ἀφθόνῳ χορηγίᾳ, ut ille de Elephantis.

Trinkenius,	*Bibulo*	3a Congia.
Bibulus,	*Oesophagio*	sesquiāphorā
Dipsius,	*Leinio*	2. sextar.
Drollius,	*Biberio*	totidem.
Zaufenius,	*Saturioni*	semicad.

Si quis demum officio defuisse deprehendatur, (modo solvendo sit) adhuc satisfacit: sin minus, ineunte convivia non sino magno se fœnore tenetur liberare: Perlecto jam catalogo, clepsydraq, exhausta. Illud vero unum, inquam ego, paulo solicitiorē

me habet, qui isti commode deducēdi sint domum; Facile id fiet, respondet. hospes, Vides funes illos qui tot ferreis annulis istic in foro alligantur? hos cautiores ministri (quibus ante finitas epulas poculum libare piaculo est) vix etiam sibimet ausi confidere, foribus herilibus affixos, novum Ariadnes filum sequuti, recta domum una cum sua mandra remeant, quantumvis illum nocte: sed quid si quis funem interea moverit loco? subrisit ille, Et quenquam putas hoc noctis, inquit, ita agere excubias? novimus tamen hoc factum aliquando, Tum is & domum petit & uxorem non suam, quod tamen ipsa fortassis æque temulenta, non ante crastinum meridiem persentiscit, tunc autem quod nescientes fecerunt, rident scientes: Certo enim ipsis persuasum est, *Non peccare quicquid quis facit ebrius*, quia non ipse, sed *Bacchus* id perpetrat, ocurrebat mihi tamen illud Luciani, ὃ δ᾽ ὁ Διόνυσος ποιεῖ τὸ δ᾽ ἄμετρον τῆς πόσεως. Lucian. dialog.

CAP. IV.

Equites aurei dolii, Legesque loci.

IN prætorio etiam urbis ſuſpenſum vidi aureum illud dolium, quod equitibus hujuſce Ordinis nomen dare ſolet, nam qui ter iſtud ſobrius ſiccaverit, eques exinde creatur à Duce, donaturque torquato inſigni dignitatis, neque contemnenda ſunt horum equitum privilegia, ubicunque enim ſunt & menſis dominantur & tabernis, vinum cujuſcunque generis gratis afferri jubent, & modum cuique præſcribunt potandi: Hi in omni ſolenni convivio ut gladiatores olim Romani enſibus, poculorum numero contendunt, quique plura nec dum ebrius exhauſerit, victor evadit, triumphatque ſerio: ebrietatis autem judicium hinc peti ſolet, qui protenſum digitum lucernę ardentis flammulæ recta poteſt immittere, quicquid præterea dixerit, egeritve, ſobrius habetur. Habe demum lector, *Zouffenberga*, ſed & *Tyroniæ* totius leges, riſumque, ſi potes, tene:

Vel Helotarum Laconicorum more.

Po-

Pomeridiana fides irrita esto.

Pocula nemini sua sunto.

Qui meri aliquid ejecerit cottabizando præter spumam, semet incurvans effusum liquorem lingua absorbetò.

Propinanti respondeat quisque eodem poculo modoque quo erat provocatus, qui secus faxit biduum sitiat.

Pocula semper vel plena sint vel vacua: dimidiata qui vel apposuerit minister, vel conviva tulerit, reus esto læsæ societatis.

Ebrium qui sobrius percußerit intestabilis sit: qui sobrium ebrius, absolvatur.

Quisquis ebrium sobrius spoliaverit, vino interdicatur in perpetuum, quò interfecerit, siti pereat.

Qui siccam salutem precatus fuerit Crapuliæ Imperatori, læsæ majestatis damnetur.

Natura vel morbo abstemius exesto.

Rectilinearis greßus à cæna scelus esto.

Quisquis triduo in urbe manserit, Baccho sacrificet.

Civem qui nuncupaverit mæchum, aut furem, ferat impune, qui abstemium in jus vocator.

Qui

Qui vinum aqua miscuerit, ad caninam mensam damnator.

Qui Bacchum juraverit, nec servaverit fidem intestabilis esto.

Qui poculo alterum petierit iratus, & vel quid vini effuderit, vel vas ipsum fregerit, proximo die poculis & manum, & labra abstineto.

In vestibulo Prætorii scriptū reperi:

Hæc domus est læta semper bonitate repleta.
Hic pax, hic requies, hic gaudia semper honesta:

Inscript. Stilliard.

Cap. V.

Artes, & bellandi mos Tyronibus.

Lippi fere sunt omnes, & paralytici, strumaque insignes nobili, quali superbiunt Alpium & Pyrenæorum coloni: Pictores longe optimi sunt, dum tremulam facit manum ebriosa senectus, ut merito hic illud cogites Luciani οἷος ἂν νήφων αὐτὸς ἦν ἔπη ταῦτα μεθύων ποιεῖ, Sed & poëtas habent plurimos, quos Dux illorum non lauro (quippe religio cuiquam est plantam viti inimicissimam

mam gestare) sed hedera donavit, sordidum genus hominum ipsęque fæces imæ plebeculæ, quibus ego non minus indignor sacrum illud nomen quam Antigenidem suum stomachatum scribit Apulejus, quod monumentarii ceraulæ tibicines dicerentur. Homuli plane rudes, ἀναλφάβητοι, qui maternos vix norunt rhythmos cōcinnare, hi quadris alienis victitant, novis Epithalamiis Elegiis, Epitaphiis tabernas replent, triumphos disponunt, edunt spectacula, & ita cantionibus præsunt nobiles Choragi, ut equites poculis. Vnicum illis ferunt ætatem hanc tulisse vere poëtam, quem propter intempestivum veriloquium fame audivi periisse. Præliantur quidem sæpius, socii communis belli, sed semper inermes, nec vel indusiis, Hybernicis armis induti, pro lanceis sunt sudes ulmeæ quibus vites inniti solent acuminatæ, & igne paulum obduratæ, nec vel dici vel credi potest, quam illi & strenue pugnarint, & feliciter vicerint aliquoties, cautum est scilicet, ne quis parum ebrius cum hoste congrediatur, vinum igitur au-

Apul. A-fin.

dacem

dacem facit, audacia sæpiuscule fortunatum.

Cap. VI.

Exequiæ Burgomagistri, Bacchi sacrificium.

ILla ipsa nocte quæ testes nos habuit convivii, quidam è Burgomagistris, cujus ædes in altiore colliculo sitæ erant, è fenestra excidit, quam is parum sui compos, nec bene palpans ostium putarat, fractaque cervice, statim expiravit. Cujus exequias magna cum pompa luctuque celebratas vidi: Pullo se quisque colore tingebat, proque sertis pampineis cupressea induebat: Cadaver impositum non sandapilæ, non pyræ, sed dolio semipleno injectum, in puteo virii pleno non tam sepultum quam submersum est: nam ubi Romanis in more erat pyræ altiori glebas thuris (ut loquar cum Lucretio) & omne genus suaveolētium armoratum superinjicere, hic urnulam quisque vini infundit tumulo, mortuoque valedicit. Statua illi erecta in medio Bacchi atrio, inscripta illorum

rum lingua hoc carmine :

Non patuere fores, patuit quæ nocte fenestra,
Ianua mortis erat, janua honoris erit.

Biduum ego istic tutus mansissem, cum ad me hospes, Heus tu inquit, latuisti probè, hactenus; sed tertium si adhuc diem egeris, necesse est Baccho sacrifices; illa mihi cura incumbit scilicet, ni in tuam gratiam pejerare malim: Cui ego, & quis ille mos est, quæso, cui tam necessario parendum est, id, si semel cognovero, aut diutius permansurus faciam, aut hodierno discessu hoc te metu ac periculo liberabo. Vidisti, inquit ille, heri Bacchi statuam in foro, cratemque, cui unum infundebant, libaturi, duplicemque infusi egressum, Alterutri horum os applices oportet, indeque haurias plus quam sat est, donec humi procubueris, tum denique illo ipso in loco provolutus, destillantis adhuc vini imbre, usque dum desierit, proluaris. Sed, amabo, dic mihi serio, inquam, num

Et illud *Vina dedere neci G. vina sepulchro Funde, sitim nondum finiit atra dies.* Senæ in Templ. S. Dominici: Adhuc & tertium: *Vina dabant vitam, mortem mihi vina derunt, Sobrius auroram cernere non potui. Ossa merum sitiunt, vino consperge sepulchrum, Et calice epoto care viator abi*: VALETE POTATORES. Script. Senæ in Templo S. Spiritus.

qui

qui unquam peregrini hoc fecerunt? Ad unum omnes, inquit ille, quidam perquam lubentes, alii etiam invitissimi: Ego vero ab eo, inquam, tu modo expedi mihi sodes quæ secundas teneat è reliquis Yvroniæ partibus. *Zythaniam* ille mihi laudavit, quam alii *Pyraniam* vocant, sub ditione Tricongii, è nobilissima Cantharidũ familia oriundi; simulque monstrat viam, satis per se facilem, jubetque valere.

CAP. VII.

Pyrania vel Zythania, & peregrinatio ad sacrum utrem.

PErgo ego jam solus Aquilonarem plagam versus, & à tergo mihi relicto *Schaum* albido flumine, perveni ad *KotZungam*, villam omnium quas vidi teterrimam, olidissimam; jamque in ipsis Ponfiniæ terminis *Validolium* salutavi, satis commodam nitidamque, in qua tamen fontem aut fluvium nullum animadverti, ut audio, ne vinum Nymphis adulterari possit: Id unum queror, cujus monitum volo Lectorem, ita proficiscenti

centi mihi molesta fuisse pocula, ut cruces Italæ & Hispanę solent festinanti viatori, quæ ad tertiũ quemque lapidem sub sacro fornice plena disponebantur, quibus illibatis peregrinanti fas non est illac præterire. Cõveni tandem viatorem, vilissimo ac villosissimo sagulo superindutũ, fronte ac pedibus nudum. Ego statim quo tam grandi gradu tenderet percontabar. Cui ille, Peregrinationem, inquit, longam suscepi ad *sacrum utrem Schlauchberga*. Miratus novum urbis nomen, iterque inusitatum, multa rogabam de regionis urbisque situ, de consilii ratione, ac utris denique illius virtute, tuliq; responsum: *Schlauchberga* urbs est in ultimis fere Pyrænię finibus & Loçanię, ab utraque regione celebratissima, in qua præter alia colendissima religionis monumenta, ædes sunt Bacchi Pyrodis, *Capellam ardentem* vocant, non ut in aliis regionibus adulti, barbatique, sed embryonis, illa ipsa forma qua totus ardens à Semeles utero, patre obstetricante, olim ereptus est, ex ardua rupe excisæ, è quarum tecto, pyropis aureisque flammulis magnifice-

ficentius ornato, ut cataractę in nescio quod Indicum mare, guttæ perennes fumantis tepentisque liquoris in utrem subjectum continuo fluxu destillant, quem superne ferunt tanta virtute imbutum, ut quisquis pie devoteque ex eo largius hauserit, nunquam deinceps aut ante mediam noctem sitire, aut ante meridiem inebriari possit: Id vero utrunque mihi homini publico, multum facessit negotii, qui neque ad mediam usque noctem dormire possum, quin præ nimia siti surgam; neque mane surgo, quin ante meridiem gravissimo somno præmat ebrius, Hunc ergo in finem, nisi quod paulum aquæ libaverim hodie de puro fonte, per triduum hoc siticulosus incedo, ut tanto plus merear de hoc igneo numine: nec quis aut mihi sic amicto, aut meo cuicunque comiti poculum audet obtrudere importunius. Ego amplexus avide oblatum mihi tam opportune privilegium, & comitatum illius, & patrocinium obnixius efflagitabam. Tandem ubi non parum viæ garriendo transegissemus, mutatam soli

fa-

faciem animadvertens, in qua nunc ſumus regione ſciſcitor. Hic inquit, ex quo latam illam paludem trajecimus, Methium deſignans lacum, tractus eſt Vſcebatius, proximior Pyrææ regio, non æque culta, ſed multo felicior noſtra Oenotria, ſive terræ virtutem, ſive aeris temperiem ſpectes: ſubolebat mihi, accepto quam primum nomine, & origo vocis & ratio: quod ad Βάθος uſque ſoliti ſint epotare, vel ab ὑς τοῦ σκολιὸς βατίου: quam vere, judicent Auſtralium linguarum peritiores. Sane populus perquam ſordidus & inhumanus, nec niſi ebrius, unquam non ferus & truculentus videbatur: qui tamen mihi (ut ſuperſtitioſiſſimi ſunt) comitis tam religioſi cauſa ſatis favebant; primam quidem noctem in publico urbeculę cujuſdam obſcurioris xenodochio tranſegimus, ſatis pol quiete, hoſpites enim omnes ebriulatos, ſomnoque altiſſimo ſemimortuos & comperimus & reliquimus: reliquas, in quibus nihil tabellis dignum animadverti, volens taceo. Pervenimus tandem per multas ſylvas invias, longaſque paludes ad

ad oppidulum celebre ac frequens, *Portum Aquæ Fortis*: Ego, requiem mihi jam diu pollicitus, qua nunc imus inquam? aut num hæc spes tua est illa desideratissima Schlauchberga? Non est, inquit ille, sed quod te recreet aliquantulum, ne ulna terræ metienda restat his pedibus, remis peragetur quod restat, quibus postquam hæc obstantia freta feliciter transfretavimus; per quieta Pyræniæ littora (regio enim hæc, Daniæ more, ab Oceano interveniente, duas in partes scinditur) ad portum optatissimum perveniens: Navim conscendimus, solvimus portu, & jam in mediis fluctibus agitamur: Sed hic friget mihi etiamnum timidum hoc pectus reminiscenti, quantum nos isthic periculum evaserimus: Ecce enim nautas ad unum omnes ebrios planissime, suique parum compotes; Heic unus dormit in puppi, alter fato Palinuri remum tractaturus, in mare præceps decidit, cui dum unus & alter frustra opem ferre tentant; casuri & ipsi manibus nostris servati sunt. Furit alter, remumque intentat proximo, quod socio amisso non

Virgil. Æn.

non fuerit opitulatus: cui ille lacesſitus ingeminato verbere, pariter reſpondet, alterutri ſe parti adjungunt reliqui, volant hac illac minaces remi, jam in fuſtes converſi, & nunc non amplius undam, ſed auram verberant: Facile ſternuntur humi quos Bacchi priores ictus ultra præcipitant: Victores duo (neque jam plures ſupererant) ſero pertæſi tantę cladis, in nos irruunt, torve intuentes, noſtraque cauſa hæc omnia eveniſſe clamitant: At nos, quibus pudori viſum eſt à totidem ebriis ſuperari, procumbentium armis inſtructi, impotens par hoſtium facile ſubegimus, armiſque ſpoliatos ligavimus, ipſi nautas egimus, quin & cymba ipſa quaſi non minus ebria nutabat hac illac, ità ut niſi ſiccior nobis venti aura ab AEolio utre opportunius emiſſa ſtaviſſet, & navim plane invitam recta promoviſſet, heic nos miſeri remiges ſpem omnem una cum cadaveribus noſtris obſcurè ſepeliſſemus, neque unquam religioſius iſte comes Bacchi ſui utrem inviſiſſet. Inter navigandum, quod unum ſilere ne-

queo,

queo, obversabatur oculis nostris procul à sinistris insula quædam alta & nivosa, aliquanto Borealior, cujus nomen rationemque petenti responsum est: Illa *Glacialis Insula* nominatur, quo Bacchus jam imberbis, ut iratę novercæ supercilium fugeret, à patre relegatus est, quem cum inhumanius tractassent, tandemque vi & armis abegissent incolæ, iratus pater terram jussit perpetuis nive, ac tenebris operiri. Sed unde fumus ille quem à longinquo videmus è montis nivosi cacumine erumpentem? Mons, inquit, *sacer Dionisii*, in cujus igneis visceribus expiari ferunt illorum animas, qui nimis sobrie temperanterque vixerint, aut illi manus olim violentas intulerint. Hic scilicet pœnas dant infelices umbræ, assidueque cruciantur, donec quis amicorum superstitum, Capellam ardentem inviserit, & ignea illa aqua in tumulum effusa, manes liberaverit. Subrisi ego, jam mihi visus cantatissimi illius Purgatorii originem explorasse, ut frustra sit Odilo ille Abbas cum Monachis Cluniacensibus, qui in AEtnæo monte istiusmodi ani-

marum

marum expiatorium, 600 abhinc annis statuerint. Appulimus tandem, urbemque invenimus satis quidem elegantem, sed utribus vasisque coriaceis stratam, tectam; nec artifices ullos hic vidisse memini, præter sutores utriarios, ut jam tandem quid de coriis Pamphagonicis fieret, satis intellexerim. Cujus rei rationem sic habe; Incolæ non mero utuntur, ut Yvrones reliqui, sed aquis quibusdam lambicatis, vino fortissimo commistis, quarum tanta vis est, ut fragili hoc vitro contineri nequeant, quapropter thecas sibi hujusmodi comparant resina piceque firmatissimas. Cives rufi sunt plerique, lippi, iracundi, invidi, suspiciosi, tremente manu, gressu dubio, &, quod me terruit maxime, meras flammas & bibũt & spirant, quantum enim nos istic aquæ, aut tenuissimæ cervisiæ, tantum isti hujus calidissimi liquoris infundunt, ut quoties aliquem viderim istorum, non potuerim non ignei Draconis Franecrensis meminisse: Ego igitur qui modo aqua periclitabar, nunc mihi magis ab incendio metuebam. Comitem ergo meũ

Anno 1000.

Baccho ſuo ſupplicantem, præcordiis meis longe melius conſulturus, deſervi: & ab urbe Vulcani Cyclopumque, potius quam Liberi patris, me proximo mane ſubduxi. Iamque dum per extremas *Locaniæ* oras reditum meditabar, viſurus *Houbeloniam*, tertiam Yvroniæ regionem, ecce me ſubito adorta eſt armata vis Viraginenſium, cinxit, cepit, rapuitque miſerrimum erronem, per immenſum iter, ad caput regni Gynæcopolin.

Nolo tamen ægrius ferat Lector, quod intacta mihi hoc caſu remaneat Yvronię pars reliqua, nam ut mihi narravit nuperus comes, & hæc omnium ignobiliſſima eſt, & parum diſcrepat à cæteris, niſi quod *Houbeloniis* minus generoſa ebrietas eſt, magiſque belluina.

LIBER

ditica

Schlo

Port Aqua

Piraetnia
pars

HOVE


LONI

FRVGI

ONA

VARIAN
bilis pars

erius Ca



LIBER SECUNDUS.

VIRAGINIA, VEL GYNIA NOVA.

Cap. I.

Situs Viraginiæ, illiusque regiones. Terra fœminarum.

GYNIA nova, quam alii corrupta voce, *Guineã* appellãt, ego vero *Viraginiam*, illic sita est, ubi Geographi Europæi *Psittacorum terram* depingunt: Ab Aquilone *Locaniam* huic genti inimicissimam, ab Austro *Frugionam*, ab Oriente *Moroniam Mobilem* & *Felicem* attingit, terra profecto ferax, sed male culta: Regiones sub se multas amplasque continet, ingenio simul & moribus valde sibi dissonas: Præcipuæ sunt *Linguadocia, Rixatia, Ploravia, Risia major* & *minor*, *Aphrodysia*, *Amazonia*, *Eugynia*, à quibus non procul abest insula *Hermaphroditica*. Harum ego quasdam peragravi planè invitissimus. Superat reliquis longissime

Guinea nova describi solet extrema pais orientalis terræ Austr. incognitæ, proxima regno *Maletur* & *Beach*. hic nos & *Gnynicam* finximus.

Lingudocia, in qua plurimæ ſunt urbes celeberrimæ, *Garrilla*, *Pſudium*, *Labriana*, quam interluit flumen ingens, *Sialon* vocant accolæ, quod ita ſæpe tumet, ut in tam vaſto canali vix poſſit contineri, & ſane depreſſior pars regionis, quam *Mentyrneam vallem* nominant, hinc inde periclitaretur quotidie, ni ſagaciores incolę oſſeo aggere ripas bene munirent. Sed primas urbium & Linguadociæ, & Viraginię totius vendicat tenetque *Gynæcopolis*, ubi ego diutius quam vellem, commoratus ſum. Quid ergo de me factum, inprimis referam, ac dein, quæ de nova gente dicenda ſunt, ordine meo proſequar.

Cap. II.

Quid mihi factum à Gynæcopolitis.

QVam primum me duræ victrices è Locanicis finibus raptum in forum deduxiſſent, campanulam illico pulſarunt, qua ſemel audita convolarunt avidæ cives, meque hic in procinctu vinctum curioſius intuentur, dum una raptricum noſtrarum

quæ

quæ tunc, ut videbatur, ducem egit, dato (uti opus erat) silentii signo, reliquas alloquuta est: Qui sim, cujasve, nescire se, solummodo in tam perditæ regionis finibus me deprehensum, monetque ut tot tantisque Locanensium injuriis lacessitæ, de sera tandem vindicta cogitent, ferantque de me judicium: Ego gentem meā rationemq; erroris quibus potui verbis, ac gestibus significabā; me rerum Locanicarū prorsus ignarum, & ex illis esse, qui ipsarum & sexui, & genti bene semper voluissent, indignum esse harum clementia, & justissimi regiminis fama, peregrinū insontem, nihil unquā de ipsarū sexu male meritum, indicta causa, damnatum iri: movit illas non parum tam supplex oratio, tamq; non fucata species veritatis: vicit ergo demū tutior plurimarum sententia, vinctū me scil. in prætoriano carcere, Gynæcio, servandum, donec & patria mea, & peregrinationis institutum senatui cōstiterit. Heic ego & longam & miserā servivi servitutē: Neque, ni me patrię meę (quæ merito per terrarū orbem *Fœminarum* audit *Paradisus*) no-

 men

Gallic. proverb. *Angliam fœminarum paradisum, Servorum purgatorium, Infernum equorum.*

men servasset, vivus hinc demum excessissem. Enimvero Loçanicos, quotquot deprehendunt, vel suspendunt, vel vilissimis officiis in hoc infami carcere deputare solent, sic nimirum ultæ quotidianas illius gentis injurias, quæ tametsi salacissima sit, & in venerem propensissima, pueros tamen ardet solos, & *Putanas*, fortassis mulas & jumenta, uxores vel omnino negligit, vel nimis suspiciosa cura & zelotypia solicite custodit. Quot ego heic non ignobilium captivorum classes, ad Herculea pensa senescentes, lanam carpentes, staminaque torquentes vidi! Liberavit me tandem patriȩ Principisque jam olim meritȩ sacrosanctum nomen, non tamen solutum prorsus & injuratum: Tangenda mihi scilicet *Ara Iunonis* & publice danda fides, me leges subsequentes inviolate observaturum:

Me nihil unquam mali nobilissimo sexui, vel verbo vel facto, machinaturum.

Fœminam loquentem sermone meo nunquam interpellaturum.

Domesticum imperium me ubicunque

que

que sim, fœminæ concessurum.

Me nunquam in Locaniam reditu-rum : Agitatur enim apud illas vulgari proverbio, *Plurimos huc appellere bonos viros, discedere malos maritos.*

Plurium amores me nè vel gestu simul ambiturum.

Nihil quicquam proditurum secreti.

Nihil unquam uxori, quod ad cultum ornaturum spectarit, negaturum:

Ingenii, & formæ, & facundiæ laudem me fœminis ultro daturum, & ab omnibus detrectantium calumniis vindicaturum.

Suscepi in me lubens omnia: neque duriorem certè conditionem facile respuissem, discedendi studio. Ita vincula etiamnum calamo meo scribentis injecta videt Lector; ut omnia fas non sit mihi jurato eloqui. Quædam non mala licebit, mala non liceret vel injurato.

CAP. III.

Forma regiminis & electionum.

STatus mihi democraticus visus est; dum quæque studet imperare,

nulla subjici: Quin neque legibus se patiuntur coerceri, publicis tantum suffragiis omnia peraguntur: quę quomodo lata fuerint, mirum mihi homini peregrino videbatur. Omnes enim una loquuntur, canoris acclamationibus, nulla silet auremque alteri accommodat: *Parlamentum* istic habent fere perpetuum, in quo majoris momenti negotia pertractantur: ut Desiderius noster, si jam superesset, factum agnosceret, quod fœminas tantopere petentes introducit: id vero necesse est propter legum latarum incertitudinem; Licet enim postero die plebiscita quævis pro arbitrio retrectare, eodem non licet, ne sibi parum constantes viderentur. Suffragiis quidem pares sunt universæ cives, non tamen dignitate; Certo enim Præfectarum numero, quas *Centum-viras* appellant, urbes præcipuę fasces tribuunt: Neque vero natæ sunt illæ rerum dominæ, sed electæ uti aliqua videbitur Pulchritudine, & Eloquentia (sola enim hæc duo in omni electione spectantur) eminere. Olim penes populum erat eligendi

Erasm. Colloq.

di

di poteſtas; donec ex eo quod unaquæque ſemetipſam ſuo promovit ſuffragio orta confuſio laudatiſſimum hunc electionis morem antiquaverit: Exinde decretum eſt, ut illæ ſolæ judices ſederent tam invidioſæ litis, quæ ſe neque formoſas, neque diſertas profiterentur: Quo factum eſt, ut concurrente ſæpe populo, ne una comperta eſt in tam frequenti ſpiſſaque corona, quæ Electricis locum occuparet, dum provectiores ętate non minus ſe putant facundas, quam juvenculæ elegantes, Tandem viſum eſt hunc honorem duodecim ex annoſiſſimis è vico *Vetulonio* matronis deferri, quem etiam ſuperbo pręterea titulo prudenter auxerunt, ut eo lubentius expeteretur, Neque illis præter titulum deeſſe poteſt, quod à ſenibus plurimi ſolet æſtimari, rerum omnium affluentia, ita enim *Noctua Lauriotica* volant undique, ita donis certant ambitioſæ puellę, captantque ingenti pretio vænalem judicum gratiam; ut nec forum ipſum crediderim aut corruptius, aut opulentius. Pro ſceptro, faſcibuſve aut ſecuri,

Vetulonia, Ptolomeo Hetruria metropolis. Sic Silius Ital. l. 8. Ariſtoph.

Plumæ iſtis, & *Specula* præferuntur, maximæ molis, quę vel per vicos incedentes non deſinunt intueri, & horum conſilio, capillos, ora, & greſſus ipſos componere.

CAP. IV.

Viraginenſium origo.

PAuciſſimæ Viraginenſium iſtic natæ ſunt: ſed aliunde à quibuſcunque orbis terræ regionibus huc confluunt, quæ aut propter nimiam in maritos ferocitatem pulſæ ſunt, aut propter nimiam maritorum inclementiam & zelotypiam ſponte exularunt: Quotquot maritorum ſuorum dominæ, injuſti imperii cauſa è finibus ſuis una cum viris ejectæ huc appulerint, in extimis regni oris illa præſertim parte quæ *Gynandria* vel *Amazonia* dicta eſt, urbes munitas incolunt, militeſque agunt pręſidiarias: Exſules vero ſpontaneę, quæ imbelliores plerunque ſunt & animi mollioris, in ipſo regni umbilico pacem colunt & Formant. Neque eſt quod ſperes Rempublicam tam incertæ originis aliquando

præ

præ civium paucitate desituram; Tot enim huc indies aggregantur ultroneæ, præsertim municipes, ut verendum sit potius ne nullus brevi reliquus futurus sit novis civibus commorandi locus. Ego certe male metuo, ne ubi istiusmodi regio nostratibus fœminis calamo meo innotuerit, vix ulla domini mansura sit, proximi seculi spem sua fœcunditate conservatura.

CAP. V.

Aphrodysia.

EXhinc igitur regiæ urbis diplomate instructus perrexi porrò ad Septentrionalem Viraginiæ partem, quæ *Locaniam* spectat, *Aphrodysiam*: terram hercle florentissimam: Nec scio quot leucis ab *Erotio* vel *Amantina* proxima regionis villa, distabam, cum jucundissimi odoris halitus nares mihi opplebat, haud secus ac si pretiosissimæ pharmacopolarum pyxides juxta stetissent, ita omnia hic seplasiarios olena pastillos & delicias Golosinias. Reliqua taceo. Heic fœminas vidi proceras, com- Terra lasciva.

ptas, & (ni fucus gratiam formæ sustulisset) sane pulchras. Quæ omnes facie papillisque nudæ incedebant, cæterum amictę, sed materia levissima, coloribusque splendidissimis: Partes nudæ ita palam cerussatæ videbantur, Moscoviticarum more ut jurares personam te videre, vel statuam, aut parietem, non humanam cutem: Mulieres *Desuergoniæ* (illo gaudet nomine prima urbs Aphrodysiarum) vitreas colunt domus; undique pellucidas, harum neminem (ni frustra velis esse) domi quæras; nisi fortè priusquam compta fuerit, & ornata, nec quam in foro theatrove (heic enim diem terunt) nisi vel ridentem, vel canentem vel tripudiantem cernes. Non aranea muscis insidiatur magis, quam istæ viatoribus. Locanicis, quantũvis genti suæ infestis, quanquam & horũ plerique ultro se quæstus gratia istarum summittant petulantię: Captos pelliciunt ad se primulũ lascivis gestibus, dein exorant importunius, precio demum aggrediuntur, deniq; (si nihil horũ) vi cogunt turpissimæ libidini inservire; Qui postquam semel

mel sui copiam fecerint, non aliter quam equi admissarii in secretiore stabulo custodiuntur, nescio quibus radicibus Indicis, philtrisque potentissimis saginati. Has ego & odi, & fugi ocyus, ne vel literarum præsidio satis me tutum ratus, quibus profecto nunquam ausus fuissem (ni formæ meæ satis jampridem mihi conscius) spem salutis, pudorisque mei commisisse. Profuit ergo semel fuisse deformem, ut vel ea quorum causa naturam maxime solemus criminari, fiant aliquando (illa sic sagacissimè nobis prospicientes) vel non cogitantibus utilissima.

Cap. VI.

Insula Hermaphroditica.

NOn procul à *Guaone*, ultima *Moluccarum*, inter *Cap. Hermosam* & *Beach promontorium*, insulam vidi *Hermaphroditicam*, nec forma, nec magnitudine Monensi nostrati absimilem, ubi quasi solū ipsum formæ incolarum aptasset natura, nihil non geminum animadverti, Nulla plane arbor est, quæ, non & va-

riis frugibus onusta sit, & variis nominibus insignis, *pyro-malos, prunocerasos, palmamygdalos* appellant. Sed & forma vestium composita ex utrique sexui propriis, nam qui plus habent virilitatis, à talis ad coxas usque viros referunt, reliquo corpore fœminas, contra vero quæ natura muliebri insigniores, quod & in nominibus propriis (ne quid dissimulent) studiose observant, qualia sunt *Philippomaria, Petrobrigida, Amarichardo, Thomalicia*, serviunt reliquis adolescentiores, quotquot natos non & genuerint & pepererint. Si quem è nostris deprehenderint naturę simplicis, hunc ut prodigiosum quiddam ostentant, neque secus admirantur, ac nos partus bicipites, mutilosve, aut absque pudenda parte natos: se demum perfectam prolem naturæ gloriantur: quæ cum binas aures, nares, manus, oculos, pedesque binos concesserit absoluto corpori, cur minus (inquiunt) præstantissimum animalium dupliciter instructum voluerit: quin & si quis consulat mulierculas prioris ævi sacra suæ Cybeles (pol benè castis riti-

bus

bus) peragentes, aut veteris Romæ, imo & nova famosissimos pedicatores, comperiet istos nequiter ambire, quod nobis sponte concessum est: His se, aliisque fœdissimis rationibus munire solent homines non plane rudes, in quibus pro corporis forma, una cum muliebri astutia, virilem sagacitatem observabis. Iumenta hic nulla præter Mulas, nec feræ præter Lepores; piscibus fere victitat gens tota, præsertimque testaceis.

CAP. VII.

AmaZonia, vel Gynandria.

REversurus per extimam Aphrodysiæ partem, ejusque occidentalem angulum, incidi (prout lares me viales ducebant) in *AmaZoniam* vel *Gynandriam*, unicum tam imbellis regni præsidium, adversus vicinorum furorem & incursiones: Quoniam vero præter Loçanicos ab adjacentium nemine periculum sibi putant imminere (quippe *Frugiona*, pacifica gens, ipsas irritare

Anglia *Land of Shrevves.*

non vult, *Moronia* non potest; si velit maxime) hinc fit ut præsidiarias urbes Amazonum, in Orientali Locaniæ vestibulo collocaverint. Vbi tacere nequeo quantum me spes mea fefellerit; conspecto enim semel virili habitu, non parum gestiebat mihi animus ne quicquam sibi suggerens ilico, me molestissimas Viraginiæ oras evasisse; sed illusum externa incolarum specie docuit eventus, heic enim braccatæ incedunt fœminæ, barbasque prolixas alunt, viri quique stolati & imberbes: qui lanificio strenue incumbunt domi, dum fœminæ rei rusticæ operam dant, & militari. *Pepuzia* hic urbs & antiqua & magna sedet; unde fortassis orti olim *Pepuziani* hæreseos jamdudum damnati, qui mulieribus imperium & sacerdotium commissum voluerunt. Non ita Barbari suas mulieres vel Aristotelis ævo tractabant, vel etiamnum tractant imperiose, ut istic fœminę viros: Miserebat me certe tantę servitutis, nihil induere, satagere, eloqui audent boni viri injussu uxorum: nec quo exire vel ad necessaria natu-

August. lib. de Hæres. Aristot. Polit. 1. c. 1.

ræ munia, nec quem contueri aut alloqui, nisi venia prius humillime impetrata, id quod hodierno die sanctius quam olim observatam didici: cui rei rationem hanc ferunt esse; quod virorum cordatiores quidam pertęsi jam sero tam ignavę turpisque servitis, consilium inissent stata quadam nocte fœminas clanculum adoriendi, secretaque strage gravissimum hoc jugum excutiendi: quod quidem juxta conjurationem hanc feliciter evenisset, ni meticulosus quidam homuncio, cui subirata conjux ob officii alicujus neglectum verbera minitata est, ut supplicium evaderet, totam consilii rationem sub vespera patefecisset. Sedent mulieres dum viri ministrant, dum expergiscuntur dormiunt, dum plorant rixantur, & verberant. Albo lapillo dignus est ille dies, cui isti salva possint cute valedicere: visus mihi fuissem denuo inter Turcica mancipia versatus, ni me habitus discrimen, turpioris servitii monuisset: vah, quale spectaculum erat in virili manu colus ac stamen, in muliebri pugio baculusve? Dissimulavi

tamen, ut potui, pudorem, animum studiose applicans ut omnia cognoscere possem, nihil pati. Si qua clementiore ingenio muliercula mitius egerit cum viro, ac remissius, statim (uti hic delatricum plena sunt omnia) defertur ad Senatum, læsæque majestatis incusatur: crimen illi intentant vicinæ, non sine magna & animi commotione & contentione vocis, quod si res vel levissimis indiciis innotuerit, hoc modo rea plecti solet: Vestem cogitur mutare cum viro, sicque amicta, raso capite prodire in forum, ibi toto die stat in editione loco, omnium spectatricum convitiis, ac cachinnis exposita. Neque vir ipse hanc audaciam feret impune, qui tantillum sibi à muliere oblatum favorem non modeste recusarit; ubi illa tandem domum redierit, luto, lotio, contumeliis maculatissima, vestem non ante deponit, quam cruentum ostentaverit baculum, quo viri sui caput valide comminuerit. Vxori suæ quisquis supervixerit, aut ancillam ducat oportet, data prius observantiæ prioris fide, aut proximæ matrisfamilias

in

in mancipium cedat, quoniam nemini virorum rebus domesticis quamlibet suis praeesse liceat. Dum peregre proficiscitur foemina, vel militiae causa, vel negotiationis, vel denique voluptatis, ancillae aut filiae mandantur claves, & cum clavibus imperium: Cui si ille semel obstrepere ausus fuerit, dat poenam reduci, ni precibus multis aliisque quibuscunque officiis silentium vicariae dominae impetrarit, conciliarit gratiam: Rarius ac ejusdem thori consortium admittuntur viri, quando nimirũ lubitum est uxorculis; sapit hoc scilicet (ut illae quidem putant) nimium familiaritatis; ni tamen singulis noctibus antequam incaluerit dominae lectus è procoetone surrexerint, ac nudo pede ascenderint, terque levi manu pultarint fores, summissaque voce obsequium suum officiosius obtulerint, postero die vapulant, Contra morem nostratium capillos tondent, ungues alunt. Sunt inter illas, quae artem gymnasticam & exercent & profitentur, quae quomodo dentes, ungues, calces bellicosissimè gerant, ostenditur,

de-

denique faciem excoriare, oculum eruere, mordere lacertos, autem perfodere, vellere barbam artificiosius, & præceptis docent, & exemplis. Vix crederes quam illic domi nitent omnia, ubi tamen omnia lavant, verrunt, coquunt, parant viri soli: ut hinc satis appareat, viros officia domestica recusare, non quod ista tractare nequeant, sed quod se minus decere putent. Nihil ibi sordidum vidi præter virorum vestimenta, quæ profecto præter modum squalescunt, ut non minus ipsi se negligant quam à fœminis negligantur: Foris tamen & agros & tecta, fœminarum curam, videas incultissima, urbium mœnia ita semituta, & ubi adhuc integra consistunt, ita imperite constructa, ut virorum tutelam desiderare videantur, & fœminarum operam & patrocinium abominari.

Dubitas nũc de salute mea Lector. sat scio, solicitus, qua tandem ratione miser peregrinus è tam periculosa perditaque regione sit incolumis evasurus. Dicam ingenue, hoc mihi præstiterunt habitus, ætas,

consi-

consilium. Nam & habitu incedebam virili, & jam adolescentulo mihi prima lanugo sexum commode dissimulabat, & quod accidit mihi per opportunè, istic incidi (quod cui mirum videbitur in tam longinquo orbe) in plurimos mihi de facie quondam notos conterraneos, quorum fretus præceptis monitisque, ut suæ olim Sibyllæ Troianus eques, per paludinosissimas *Ploraviæ* valles, montesque *Tuberoniæ*, non sine multis laboribus, molestiis, periculis in Moroniæ fines lætus hospes perveni. Sed quid de probis interea fœminis fiat & rogabis, & nimium fortasse miraberis, infelicem me ratus viatorem, aut ingratum, qui istas vel non convenerim unquam, vel visas, notasque tanto silentio præterierim, Plurimæ quidem illæ sunt, mi homo, dico seriò: sed quæ *Eugyniam* habitant, partem mihi fateor, non visam, sed certo rumore cognitam: Quin & prædictis Viraginię partibus non paucę sunt, sed quæ vitam agunt Anachoreticam, & Monasticam, ac proinde montes incolunt præ-

Æneid. 6.

præruptos & inaccessos: Huc scilicet (uti ferunt) castissimæ, piissimæ, pulcherrimæ fœminarum ultro secedunt. Quisquis ascenderit ac studiosius quæritaverit, non poterit non plurimas hujus farinæ reperire: Ipse unam aut alteram conveni, quarum adhuc & formam & mores, virtutemque stupeo: Sed quod adolescentuli nostrates (si qui huc fortè peregrinentur) ita omnem inveniendi laborem refugiant, curamque rejiciant; hinc fit ut bonarum fœminarum paucitatem immerito causentur.

LIBER

et
ol-
e-
o-
n
ofe
a
ru
let
nè
eni-
que
m

BER

L

ri
de
co
q
ti
cu
9
tu
A
gia
G
vn
ru
jo
in
n

LIBER TERTIUS.

MORONIA.

CAP. I.

Numerus Moroniæ & situs.

MORONIA Regio est omnium quas vidi incultissima, vastissima, populosissima; Sane si quis in celebrioris alicujus emporii Bursa obambulet, quod ille olim de Parisiis, mundum huc totum confluxisse judicabit. Non me latet quid de Europæornm numero scriptitarint historici; illud vero quantumcunque est, libere concedamus. Italia 9000000 plus minus complectatur, Hispania aliquanto pauciores. Anglia 3000000; Totidem & Belgia; Germania utraque 15000000. Gallia totidem, Sicilia 130000. Novimus & quid de Chinensium, quorum (ut perhibent qui de magnis majora loquuntur) 70000000 solent in hac audaci orbis censione numerari: Mera profecto hic solitudo est, si quis

ſi quis iſtorum cum frequentiſſimo Moroniæ populo conferatur: Terra ſita eſt ſub ipſo polo Antarctico (uti contra ſub Arctico Pygmæorum) & ſane jam ſubolet mihi ex una eademque cauſa, frigore nimirum utriuſque regions intenſiſſimo, & Pygmæorum exilitatem, & Moronorum ſtupiditatem proveniſſe, qua quidem in re pulchre ſibi reſpondet Natura, dum in altera mundi plaga vitium corporis, animi vero in altera ex nimia Solis remotione fieri voluerit. Cui & hoc fidem facit, quod qui ſub mediis ac temperatis cæli Zonis habitant, & animo valere ſoleant & corpore: ſed philoſophi id curent ſcilicet. Ab Auſtro Crapulia terminatur, Viraginia & extremo Frugionæ angulo ab Oriente, ab Occidente denique Lavernia.

CAP. II.

Moroniæ partes, moreſque toti populo communes.

MVltiplex quidem eſt Moronia, & multiformis, Nam ad Orientem *Variana* vel *mobilis Moronia* ſita eſt,

ta est, sub ipso polo *Aspera*, ad Austrum *Moronia Felix*, inter utramque *Fatua*, *Pia* denique ad Occidentem. Corpore sunt plerique omnes (quantumvis sæviente frigore) procero & obeso, crine subpallido, *a φοξὸς* capite, labiis prominentibus, auribus crassissimis: Sed non idem omnibus ingenium, non mores, non habitus: Notabo pauca quæ in universum fere omnibus competere mihi visa. Advenis quibuscunque sine omni discrimine copiam faciunt (si Asperam Moroniæ exceperis) suarum urbium, ædium, mensę: Adi quenquam istorum, saluta submissius, non sine turgidulis titulis, planeque Hispanicis, lauda vel faciem, vel vestem, vel manum, vel domum, & quicquid dixerit adstipulare, hospitium nactus es quamdiu voles, in quo nihil quicquam tibi deerit quod possit uspiam comparari. Gratiis & blandis pollicitationibus hic veneunt omnia: Plumas, aut serta, vel campanulas aut tympana magno auri precio à gratissimis emunt mercatoribus. Media hyeme aperto incedunt pectore, & reliquo corpore leviter amicto, ut eo

a φοξὸς εἰν κεφαλ. d. Thersit. Homer.

facilius intret calor, frigus exeat; æstate autem induunt endromida, & superinduunt pallium & quot habent vestes, ne qua forte calor intrare possit: quanquam & alii φιλοσοφώτεροι contempta hyemis intemperie, nudi ferè prodeant; hac freti ratione, quod cum cætera animalia suis plumis aut corio contenta sint, turpe sit regi reliquorum homini aliorum integumentis indigere. Nemo istorum solus unquam est; semet enim alloquitur, sibique respondet vicissim; secum ludit ipse, non sine magna contentione, aliquando etiam & rixis, risumque sibi aut lachrymas movet ubertim: Per omnes Moroniæ partes vagantur religiosiores quidam Morosophi, in varios ordines distincti, qui eodem istis in loco habentur, quo *b Bonzi* apud Chinenses: pium genus hominum, ac lepidulum. Exciderunt mihi ferè classium nomina, quarundem sonus hæret etiamnum, vel certe non multum absimilis, alii se (ni male memini) *c Morello scurras* vocant, alii *Cluniachos*, &

b Hi Chinensium quasi Pseudotheologi *Tagodos* (sic idola vocant) religiosissime colunt magnoque in honore sunt. *c Morelloscuro*, color est Italis Monachorũ de valle umbrosa.

La-

d *Latrinenses*:Alii *Licetanos*,*Zoccolantos*, e *Cercosimios*, f *Matteobassos*, g *Scelestinos*, *Della mercede*, *Della vita commune*: Isti omnia quę habent largiuntur aliis, ipsi mendicant. Ad extremos Moroniæ fines ambulant nudo pede, ut cælatum lapidem intueantur, alloquantur, exosculentur, cui demum supplices provoluti offerunt munera, vota fundunt: Aurum plumbo mutant, & membranulis: Cereos accendunt meridie, Carne vesci, religio illis est, piscibus ad crapulam licet: * Aurum nuda manu argentumve tangere quibusdam piaculo est. Hominnm vix quenquam salutant, nullum non lapidem aut lignum. Flagellis se misere mastigant, ut apud istos crudelior quædam, quam quæ Laconum olim διαμαςίγωσις reviviscat: sive quod nemo alius tergus suum illis poliendum sit commodaturus, sive quod olim vitulorum sanguinem Deo gratum fuisse acceperint. Verticem radunt, vel quod lævi cranio se natos meminerunt, vel ad calorem cerebri temperandum, vel ne crines inter cœlum &

d Lateranenses regulares & Cluniacenses.
e Certosini.
f *Matteo Basso*, Italis fundator erat Capucinorum.
g Cœlestinos
* Nota fabula est de Franciscano & Dominicano.

cerebrum naſcentes impedimento forent, * ne libera mens cœleſtia meditaretur. Duo tantum ſunt, quæ, me judice, plus nimis ſapiunt aſtutiæ, quod credulam plebeculam ita pulchre emungant, ut aliorum impenſis laute vivant ipſi, otioſeque, & denique quod nolentes perpeti domi crucem (ut ingenioſe *Scaliger*) uxoribus utantur alienis, pulloſque quos ipſi genuerint, aliorum alis fovendos ſupponant. Si quis horum ægrotaverit, lachrymatur affatim, uſque dum vel moriatur, vel convaleſcat. Medicamenta omnia pertinacius averſantur: tantum moribundi oleo à ſuis *Moroſophis* inunguntur. Sapientiam non metiuntur ſilentio (quippe res etiam inanimes id faciant ultro) ſed verborum delectu, numero, rotundo exitu: Ille vere ſapit, non qui parum loquitur, ſed qui multum non incongrue. Non equitant unquam, non navigant, ſalutem ſuam vel ceſpitanti jumento, vel natanti nutantique ligno credere ſtultum judicant. Ad pubertatem uſque ab ube-

* Hugo l. de ſacram part 3. c. 1. Rabanus li 1. de Inſtitut. Clericor c. 3. Bellarm. de Monachis, li. 2. c. 40. cujus hæc verba: *ut ſic maneat verex*, id eſt, animus liber & apertus divinis contemplationibus & illuſtrationibus: *In Albo Jani Douza* manuſcr.

uberibus matrum pendent. Mortuos non ſolent ſepelire: factum id putant inhumanius, ut quis parentem, vel uxorem, amicumve, eo quod anima deſtituatur; terra occultaret, nec poſſe fieri, ut eum olim ſuperſtitem vel amarit quis, vel honorarit, quem modo mortuum ita ſupinus abjecerit, ac nudum vermibus propinaverit: Suorum ergo cadavera ligno altiſſimo ſuſpendunt ſub dio, veſtita quam poſſunt elegantiſſime; & quotannis viſunt ac venerantur: quanquam & veteribus hunc ſepeliendi morem uſurpatum fuiſſe ſatis doceant non pauca, piæ præſertim Moroniæ, monumenta. Et iſti uxorum dominium agnoſcunt, ſed illo mitius, quod ipſorum mulieres imperare neſciant. Quem morem hinc ego natum accepi: Viragines olim Amazoniæ, iſtis adhuc pæne confines, Moroniam totam armis ſubjugarunt: quam tamen ipſæ nolentes propter colonorum inopiam occupare, nomen ſibi retinentes imperii, pepigerunt ut victi incolæ priſtino more poſſiderent,

tantum annui tributi nomine aſinum auro probe onuſtum mitterent dominis ac victricibus Amazoniis: Et id quidem annis jam plurimis die ſtato, factitatum eſt: Renuunt tandem Moroni, nuntiumque remittunt; aurum ſe quidem non tanti facere, modo ipſi, quod ſuum eſt, tempore ſuo petere dignarentur: ſed ut amicum animal, munere apud ſe diſcupiens, fuſtibus abigerent, invitumque cogerent theſaurum ſuum exportare, factum ipſis videri durius ac iniquius: ac præterea rem nimis ambiguam eſſe ac litigioſam; nam ubi aſinus aſino robuſtior eſt, ſi plus minuſve hoc anno miſerint, quam ſuperiore, merito cavillari poſſe Amazonias, ſe non juſtum onus accepiſſe: præſertim cum ipſi ſæpius experti fuiſſent, miſellum animal, cui in primo egreſſu ferendo videbatur, ante longi itineris exitum, oneri ſuccubuiſſe. Reſponſo hoc commotiores Amazoniæ bellum parant; invadunt terram, & reluctante nemine, perveniunt tandem armata acie ad Metropolin regni, *Pazzivillam*, re audita conglomeran-

rantur cives catervatim, absque tamen omni & ordine, & armatura; hostes illico militari more se disponere ad pugnam, clamare, jacula torquere, irruere; Pazzivilhani, cum unum aut alterum è suis cæsos humique stratos conspexissent; in genua prociderunt supplices, plorarunt, obsecrarunt & expostularunt, Quæ est hæc, inquiunt, crudelitas, ô Amazoniæ, pro uno asino tot homines tam violenta morte afficere? cum unus vobis asinus vivus plus profuturus sit quam mille cæsorum hominum cadavera. Habeat unaquęque vestrum asinum aurumque, Malumus nos sine illis vivere, quam pro illis mori, Parcite modo, & abite. Desistunt demum precio precibusque victæ victrices: sed hac pręterea lege, ut deinceps tota Mororiorum gens uxoribus (quod regimen domesticum spectat) ultro obtemperarent. Victi pergratum id sibi futurum respondent, molestissimum enim sibi hactenus visum, & invidiæ plenum imperare.

CAP. III.

Variana, vel, Moronia Mobilis.

Terræ stultorum inconstantium.

VAriana, Orientalissima Moroniæ pars est, proxima Viraginiæ, de qua queres à me certi aliquid, benigne Lector, quo in statu res illius provinciæ invenerim, reliquerim: satis quidem & mihi constat, & æque constabit tibi, at si tu huc forte peregrinatus aliter se nunc habere compereris, præmonitus noli meam fidem criminari, ita enim omnia ibi nova fiunt indies, ut facilius possis certam Protei formam, Chamæleontis colorem, crastinam cœli faciem prædicere. Quicquid arrogent sibi Portugallenses in regionum disquisitionibus ac longinquis peregrinationibus puto veteres Gallos meritissimo posse laudem hanc, ut sibi propriam, vendicare: nam, certe istic plurima invenimus Gallorum vestigia: sive locorū nomina, sive legum reliquias, vel denique numismatum spectes monumenta: Facies terrę multiformis est, & dubia, nā quæ pascua læta vi-

vides hoc anno Floræ ſacra, proximo aratrum expectant, Cererique dicantur: quique pridam montes cœlo minabantur, nunc cavam replentes vallem, ſuperbum cacumen viatoribus calcandum præbent. Flumina ſæpe novos canales mirantur prioribus intercluſis: eſt etiam ubi

Plauſtra boves ducunt qua remis acta carina eſt: Virgil.

undis interim incolarum aggeribus excludi adhuc immane frementibus, & alio in loco amiſſæ hæreditatis compenſationem molientibus. Vrbes hic multæ, magnæ, ſed quarum & nomen & fabrica mutatur indies, Harum facile princeps cum ego huc primulum appuli, *Ferfellia* dicta eſt, ante diſceſſum vero Senatorum edicto *Paprlonia* nominata eſt. Vrbs rotatilis, ita ut hac illac, curruum more, pro civium arbitrio circumagi poſſit: Illam ferent centies locum, trigeſies & ſtructuræ formam mutaſſe. Me illic hoſpitante juxta fluvium *Sans-eavum* confidebat jam ſtatim montem *Amylon* conſcenſura; ſed & flumina

Sans e-au *ſine aqua*, Gallice: ſic Morus in ſua Vtopia fluminis *Anydri* meminit.

quæque ſic gelu ferè aſſiduo conſtri-ɛta ſunt, ut opportunam transfretandi viam fugienti villæ offerre videantur: ſingulis menſibus facies urbis nova eſt, ſic enim ſtructę ſunt ædes ut à ſe poſſint abſque periculo ſeparari, quam primum ergo faſtidiũ iſtos cœperit viri aut viciniæ, illico novam ſibi plateam, ſedem novam quærunt. Vrbis inſigne olim Teſtudo erat domiporta, cum verbo ſapientis Græci, *Omnia mea mecum*: nunc vero Papilio floribus variis inſidens, pulchrique delectus nota verbum additur. VBI LIBET.

§ 2. *Veſtis ac mores populi.*

INcolæ plumis coloratis Indico more veſtiuntur, quibus cum aviculas conſpiciant contra vim frigoris ſatis armatas, his tanto ſe tutius munitos autumant, quanto ipſi tam imbecilli teneroque animalium generi antecellunt: ſitum tamẽ plumarum ſubinde mutant, ut novum habitum mentiantur, adeo ut quæ mane verticem obũbrabat, jam ante

vesperam talos verrat, quæque modo genua, nunc altius posita pectus vestiat. Ducunt uxores, quas etiam pro tempore amant efflictim: dantque illis fidem conjugalis benevolentiæ, vereque custodiunt, donec vel illa displicuerit, vel ipsi aliam viderint pulchriorem: tum demum conjuges non hercle invitæ commutantur: citius enim illas cœperat maritalis thori fastidium. Hospitem quemlibet vel nō antea conspectum tractant hodie familiarissime, ac si perpetuum inter illos amicitiæ fœdus initum foret: postridie autem velut ignotum prætereunt.

Vix quicquam volentes offerunt, quod non retractent secundo spiritu, antequam serio promiserint. Nihil promittunt quod non dejerant postmodo antequam præstiterint, nihil denique præstant cujus non ducantur, sera tamen, pœnitentia: Hodie nihilo vendunt, quæ ubi emptori placere inaudiverint, cras magno redimunt: Leges condunt in annum: neque enim expedire, ut cum rerum conditio mutationum vicissitudini obno-

noxia sit, vivendi tamen regulę eædem semper permaneant, quibus adde, quod cum δεύτεραι φροντίδες plerumque σοφώτεραι sint, nimiæ profecto servitutis esset, id semel decernere, quod cum postea expertis displicuerit, non possit unquam revocari.

§. 2. *Tumulus Vortunii, Antiqua Numismata.*

Hic in agro *Muerio* propter viam, tumulus cernitur Vortunii cujusdam, non valde antiquus, minus elegans. Cui inscriptum:

VIATOR

Mane, Lege, Ambula. Hic jacet

Cui simile Bononiæ est ad S. Petri, Æliæ Læliæ Crisp. monumẽtum.

ANDR. VORTVNIVS, NEC SERVVS, NEC MILES, NEC MEDICVS, NEC LANISTA, NEC SVTOR, NEC FVR, NEC CAVSIDICVS, NEC FOENERATOR, SED OMNIA: NEC IN VRBE VITAM EGIT, NEC RVRI NEC DOMI, NEC FORES,

RIS, NEC IN MARI NEC TERRA, NEQVE HIC, NEC ALIBI, SED VBIQVE. NEC FAME, NEC VENENO, NEC FERRO, NEC CAPISTRO, NEC MORBO SVBLATVS, SED OMNIBVS. POSVI. H. I. ILLI NEC DEBITOR, NEC HAERES, NEC COGNATVS, NEC VICINVS, NEC NECESSARIVS HANC NEQVE MOLEM, NEC LAPIDEM, NEC TVMVLVM, NEC CASTRVM DOLORIS: SED OMNIA, NEC TIBI, NEC ILLI NEC MIHI, NEC MALE, NEC BENE VOLENS, SED OMNIBVS.

Ad quartum ab urbe Novizza lapidem è puteo quodam effoſa multa vidimus antiquiora numiſmata, paucula non pigebit in Lectoris gratiam deſcripſiſſe.


Qua-


Quadratus hic nummus erat, cui ex altera parte Ianus bifrons; ex altera vero lapillus rotundus lævi quasi tabulæ insculptus videbatur una cum obscuris literularum notis ERR. VAR. DVC.





Erat & rotundus, cujus pars una togatum quendam referebat, mediæ fere ætatis; dextra catelli venustioris capiti innixa, sinistra librum semiapertum gerebat; pars altera Chamæleontem coloribus suis variegatum; & superne scriptum erat CONST. LIP.





Tertius erat majoris, ut videbatur valoris, ovali figura; ex antica parte facie nasuta, macilenta, fronte redimita: ex altera Polypo pisce sub-

ſubjacenti ſaxo & affixo, & adſimilato eleganter excuſus, cui & verbum juxta poſitum *Pour Bon*. Authorem nec ſcio nec quæro, nec quid ſibi voluerit homo ſciolus ſatis capio: facile intelliget omnia Lector paulo magis gnarus antiquitatis.





Sect. 3. *Academia Variana.*

IN tractu vallis *SenZapeſiæ*, quod nullus expectaram, comperi quidem imaginem Academiæ, *Dudoſam* vocant ſui, in qua occurrebant mihi umbræ philoſophorum. Falleris quiſquis iſtic lectorum cathedras, auditorum claſſes, ſcholas artium, rectores, pædagogos, leges, libros quæris, quiſque ſibi magiſtri vicem ſupplet, & auditoris: Collegia tamen

Senza Peſo, Ital. abſq; pondere Leve.

tamen hic bina: Scepticorum unum, qui nec oculis, nec auribus suis fidendum censent; nec id unum statuere audent, se nihil statuere audere: surripe cuiquam istorum nummum, aut panem, aut pannum (quod Lacidæ cuidam istorum contigit) statim ambigit, num tale quid unquam habuerit prius: Colaphum impinge (quamlibet irata manu) dubitat num acceperit, vel num se jam sentiat accepisse: Alloquere, adsta, tange; audit, videt, sentit, dubius tamen interea ne fallaces sensus mentiantur.

Diogen. Laert.

Alterum vero *Novatorum*, illis *Troverense*, forsan ab inveniendo dictum: Totos enim se dedunt isti rebus novis disquirendis: novisque urbium, vestium, ludorum, gestuum, rerum publicarum formis cudendis operam locant. Quisquis jucundius aliquod ludi genus, aut inauditam vestis formam excogitarit, à duce pro dignitate rei promovetur. Qui Bullas primus ex saliva, & smegmate compositas è juglandis cortice, insufflato calamo excitavit, non minus illic celebris est quam vel Bombardarum inventor, vel Moguntinus

nus ille Typographiæ author apud Europæos. Hi magno in precio ſunt Aulicis, etiam & artificibus, Moroniæ præſertim Felicis, qui ipſorum conſilio veſtes omnes concinnant, componunt geſtus.

Quin & iſti novam ſibi linguam fabricarunt; quam * *ſupermonicam* appellant magiſtri, ſolis doctioribus adhuc cognitam.

*Myſtica lingua Paracelſi, ſic à ſuis nuncupatur.

Selectiora quædam vocabula in peregrinantium gratiam adtexere operę mihi pretium erit; excogitata quidem nuperrimè, & nunc dierum illis uſitatiſſima, ne nimium fortè ſtupidus ac ipſorum lingua Cedurinus habeatur viator; qui ipſos alloquentes parum intellexerit.

Cedurinus, Paracelſo *ſtupidus*.

Catalogus vocabulorũ quorundam Paracelſicorum.

Terra ipſis,	*Silo*	dicitur
Anima,	*Adek.*	
Quicquid intra cutem,	*Cohos*	
Pars interna diaphragmatis,	*Cooſtrum.*	
Innata qualitas,	*Relloleum.*	
Naturale,	*Cherionium.*	
Sal,	*Hal* & *Malek*	
Vapor terræ	*Leffas*	
Aquæ commotio	*Lorindt*	

Mel

Mel Sylvestre *Tereniabin*
Halitus malus elementorũ *Realgar.* } *dicitur*
Principium, *Ilech,*
Supernaturale, *Iesadach.*
Vnguentum, *Oppodeltoch.*
Dejectio stellarum, *Nostoch.*
Iupiter, *Cydar*
Successiva generatio, *Dardo..*
Præsagium incertum, *Erodinium.* } *dicitur*
Certum vero, *Essodinium.*
Pustulæ, *Bothor.*
Malus sanguis, *Cassatum.*
Mancus vel mutilus, *Artetiscus.*
Gibbus. *Nasda.*

Sed magis adhuc miranda mihi videbuntur mineralium nomina & spirituum.

Sulphur, *Chibur* vel *Alcubrith*
Argentum vivum, *AZoth, Sibar, Vnquasi, Missadan.*
Stannum rude, *VVismadt.* } *dicitur*
Mercurius præcipitatus, *Diatesſadelton.*
Metallum ferro simile, *Robolt,*

Li-

Liquefacti denique metalli materia *Blachmal.*
Ferrum, *Edir.*
Mercurius, *Missadar, Zaibar;*
Aurum minerale, *Chifir; Fido*
Cuprum *Melibæum.*
Vitriolum, *Colcothar.*
Compositio ex coralio & carabe, *Dubelcolep.*

} *dicitur*

Habe etiam & spirituum appellationes, qui istis familiarissimi.

Bonus dæmon, *Evestrum.*
Spiritus boni, secreta revelantes, *Zeninephidei.*
Spiritus ignei, *Trifertes.*
Spiritus aëri, *Nenufareni.*
Lemures, *Caballi.*
Spectrorum actiones, *Trarames*
Spiritus minerales, *Operimethiolim.*
Imagines impressæ *Gamohea*

} *dicitur*

Præfectus Collegii erat *Bustius Hohenheimius* præcipuus novæ linguę architectus: Haud scio tamen num hæc nova huc usque obtinuerit, an locum cesserit alteri, cusæ fortassis nuper-

Illud nomen nativum est Paracelso.

nuperius : Quicquid erit, liberavi ego fidem præmonendo.

Cap. IV.

Aspera Moronia.

Terra stultorũ Melancholicorum.

SVb ipso polo in Australis terrę extremo apice *Aspera Moron.* locum sortita est, regio montosa, petrosa, gelu perpetuo constricta: quippe quæ cælo fruitur sicco, & frigidissimo. Rupes hic ferrea est, respondens per omnia magneticę, quæ sub altero polo perhibetur: quæ ratio est ignota nautis & Geographis, quod id tabulis nauticis postea quam semel Æquinoctialem transnavigaveris, magnes ad Australem se polum potius convertat: Duos sub se Ducatus continet amplos hercle magis, quam felices, *Lyperiam*, quam alii *Maninconicam* terram nuncupant, & *Orgiliam.*

Sect. 2. *Lyperiæ dux, populus.*

LYperię dux *le Grand Chagrin* à suis cognominatus, homo morosus tetricusque, populo præsidet

sui

fui quidem non minus simili quam à reliquis Moronis discrepanti: Palatium illi ingens *Cordolium*, è gagate magnifice constructum, in cujus vestibulo rubris characteribus exaratum est,

Merentem locus est, procul hinc discedite læti.

Ranzovianum carmen in sacello quodam, prope Sigebergam.

Incolę plerique hispidi, macilenti, inculti, colore fusco, crine nigro, cute dura & aspera, fronte torva, neglecta veste, vultu tristi, oculis cum stupore quodam fixis, nec se facile moventibus, introrsum vero demissis, ac veluti in cavis maxillarum tumulis jam diu sepultis. Nemo urbem heic quærat, aut pagum, incolę soli semper habitant, leporum more, vitamque degunt plane eremiticam, partim quod natura sua suspiciosi ac meticulosi sint, ut proximos non ferant, partim quod Edicto Ducis cautum sit ne quis aut intra conspectum alterius domi, aut intra certa millarium spatia ędium sibi poneret fundamenta: Rarissime quidem exeunt sive id propter densissimas tenebras, quæ hic fere perpetuę sunt, sive decreto Principis fiat, seu

sponte

ſponte ſua potius, quod ſe domeſtica ſolitudine malint oblectare. Rarius tamen obvium quempiam ſalutant vel alloquuntur: ſic enim ſe habet Legis ſuæ ſententia: *Antequam neceſſum eſt ne prodeunto, neminem in via,* * *niſi die Iovis, ſalutanto.* Adi quenquam iſtorum, pulſa fores, ſerò reſpondet hoſpes, & iracunde, quippe moleſtiſſime ferunt novi hoſpitis adſpectum. Quæris quid agant, vel quo tandem modo ætatem terant? Sane, imaginando, & fingendo nunquam facta, nunquam futura, credendo quæ finxerint, proſequendo quę crediderint, quæ ratio eſt cur ita horreant aſpectum, nolintque interpellari.

* Obſervatum hoc ſedulo eſt hodie à Monachis Carthuſianis, & eadem lege cautum.

His ſimilia quære in Hoſpitio ſtultorum melanchol. à Baron. ſcripto.

Alius ſe jam diu mortuum putat, ſeque velut frigidum cadaver imo in pavimento protenſum ſternit: ſiquis forte domeſticorum appropinquarit hominem ſciſcitaturus, involat huic in faciem, Necromanticum ratus, qui ſecreta carminum vi animam prius exautoratam ex inferis revocaverit, & jam velut umbra vagatur hac illac, ſperans non poſſe ſe deinceps humanis ſenſibus comprehen-

Idem ipſum de Piſandro quodam Cæl. Rhodig. lib. 9. 26.

hendi accurrat quis suorum, rapiatque, & catenis (uti opus est) vinciat, hunc unam ex Furiis judicat à Plutone missum, ut animulam sibi nuper ereptam repeteret, domumque suam, quam olim tumulum sibi finxit, nunc Infernum ratus, eo magis perhorrescit. Alius se talpam imaginatus, degit in cubili subterraneo, vermes venaturus, rostroq; probe calceato terram suffodit, ubi vero aliquis illũ insequutus, vel acicula pupugerit, statim (prorsus enim sibi videtur more talparum cæcutire, ut neque virũ, nec ferrum dignoscat) furca ratus talparia trãsfodi se, exclamat misere, seque parat patibulo. Alius Atlantem fingit grave cælorum onus sibi imposuisse, stat ergo immobilis, suspirans sępissime, & nunc tollẽs humerum, nunc deprimens, & postquã diutule sub ficto hoc onere sudaverit, ubi quis suorum magnum cœli tibicinem ad se traxerit moveritq; loco, procidit is in faciẽ, mundi ruinã parũ interea tacitus, impatiẽter exspectat, increpãs homũciones imprudẽtissimos ita prodigos suę salutis, & orbis universi: Alia Megęrã se opinata, vel Fu-

Furiarum quampiam, terret hoſpitem ſævis geſtibus; capillos ſuos totidem angues quatit, ſibilat, & ungues intentat advenientibus: nacta vero catellum aut ſoricem excruciat quantum poteſt; animamque ſe peccatoris torquere rata (quod Aiax olim inſaniens Arietibus feciſſe dicitur) pœnis & querelis miſeri animalis ſemet admodum conſolatur: Alius naſum ſentiens ultra modum excreviſſe, lora conſuit, quibus more Cingaris Merliniani à tergo revinctum excipiat: Alius argillaceus ſibi totus videtur, vitreuſve, procul ergo devitat obvios, veritus ne ſi forſan in quem violentius impegerit, illico confringatur. Ita nemo horum eſt qui non ſe alium comminiſcitur.

Merlin. Coceaius in Macronicis.

Sectio 3.

AB Ochietto monte Larmium falſum flumen oritur, rigatque maximam hujus provinciæ partem; ſed & regionem hanc totam pertranſeunt montes *Traurigii*, ut Italiam *Apennini*, qui horrorem fere Incutiunt dira quadam ſolitudine,

nihil

nihil enim hic conſpices præter urſorum antra, & tuguriola ſagarum. Abundat iſtic utrumque malarum beſtiarum genus; urſus, animal vere melancholicum, per hyemem totam in obſcuriſſima cavea deliteſcit, pedeſque ſibi lambendo, vivit. Sagæ, decrepitę aniculę & impotentes, gramoſis oculis, attritis dentibus (ut olim Cæcilius) quæ omnia ſe poſſe putant, vel tantillum muſſitando, ciere tempeſtates, rivos ſiſtere, mederi morbis, excitare mortuos, ipſæ tamen interim præ mera fame moriuntur. Montium iſtorum latus umbroſum operit *Eubonia ſylva*, ſpectris (uti ferunt vicini) perpetuò infeſtata, ac mortalibus invia: Lycanthropicos per hanc ſylvam paſſim diſcurrentes videbis, territuſque plus ſatis, ni iſtorum morem vociſque fraudem prænoveris, audies ululantes. Sed & in valle *Gramia* montibus hiſce ſubjacente, oberrant, plurimi, quos princeps ſagarum *Melæna* in Leones aſinoſque transformaſſe dicitur, ita tamen, ut humanam illis & vocem, & faciem conceſſerit. Melanchol. aſinina, leonina.

Sect. 4.

OMittendum non eſt inter reliqua, quod in hac regione celeberrimum eſt, in latere nivoſi montis, & excelſiſſimi *Traurigiorum* & ultimi, antrum *Maninconicũ*, alijs, *Antro del Pianto*. Veſtibulo quidem anguſto, & cærulea glacie concreto, intus vero, ut ex ſono licet cõjectari, tractu valde ſpatioſo. A limine pendent ſtirię grandiores, quæ velut dẽtes totidem in horridiſſimis ſpeluncæ faucibus videntur induruiſſe: Hic fama eſt raptas melancholicorum animas, intenſiſſimo frigore torqueri: Quiſquis ori appropinquaverit introſpecturus (quod vix quiſquam prudens facit) humi ſternitur exanimis, ibique cadaveroſum corpus reditum animę cruciatiſſimæ præſtolatur: ſed qui aurem admoverit terræ vel aliquantulum remotiori, quæ ſuſpiria, & ſive catenarum ſive ſtiriarum decidentium clangorem inaudire ſibi videbitur? At qui in aliqua montis hujuſce parte ſomniaverit (quod ego audaculus homo expertus ſum) Deus bone, quales Chimæras, & Trage-

Tragelaphos, Centaurosque & mille stupendas monstrorum formas non sine horrore quodam conspiciet!

CAP. V.

Orgilia, alter Ducatus Asperæ Moroniæ.

Vicina huic *Orgilia* est, terra arida, arenosa, sterilis, quæ gentem producit iracundam, furiosam, rabidam, statura cæteris minorem, pallida facie, crine rubro, oculis scintillantibus, tremente labio, incerto gressu, sed plerunque concitato. Huic præest *Dux de Courroux*, tyrannorum omnium & exemplar, & Coryphæus. Mirabitur, nec credet Lector narranti quid ille jubeat, quid agat, quamque impetuose, quo redigat suos, quomodo plectat. Celebris ille quondam Russorum tyrannus mitis homo ac mansuetus præ isto mihi visus, & qui primorum Cæsarum, imo & Patagonum cruoris sitientissimus. Quin & istic forsan hæsitabit incredulus rerum indagator, explorator terrarum, neque (cum cæli ingenio soleant incolarū mores conformari) sibi

ſine perſuaderi, regionem hânc polarem pro loci ſitu intenſiſſime frigidam, tam plus ſatis calidæ ac cholericæ prolis matrem unquam extitiſſe. At novimus, ſat bene philoſophi, eo veriſimilius hoc ex ἀντιπεριστάσει poſſe fieri, quo cœlum frigidius; neque illud quiſquam ſtupere poterit, qui noverit Africam regionum torridiſſimam gelidiſſ. ſerpentes generare, & in fornacibus Cypriis vulgo creari muſcas, quæ ſua frigiditate ignem extinguant. E media regione aëris fulgura torqueri ac tonitrua, hanc denique terræ molem ex igne ſubterraneo, aucto quidem ex ambientis corporis frigiditate quaſſari hac illac, penituſque commoveri. Nunc ergo ſuffragante philoſophia fidem & ſpero mihi, & arrogo. Vbi quatuor præcipuæ ſunt provinciæ iſtius partes, *Lecithia*, *Praſinia*, *Iodia*, *Glaſtia*: ſingulis & habitus & color ſuus eſt, *Lecithenſes*, pallido & cinericio, *Praſinenſes* viridi, *Glaſtii* livido & cæruleo, *Iodii* rubicundo colore & tincti incedunt & amicti. Nemo horum prodit unquam non onuſtus armis, ut cui veſtis parum fortaſſe

Mercurial. Var. lect. Georg. Agric. lib. de ſubterraneis. Non naturalis bilis qua, duplex eſt; λεκιθώδης, πρασοειδὴς, ἰώδης, ὑδατώδης, quæ colore glaſtum imitatur.

tasse suppetat, nullum tamen armaturæ genus sit defuturum, idem homo non maximus quasi conductitius Martis bajulus, dextro quidem humero bombardam, sinistro fustem; ex altero latere gladium, pugionem ex altero, arcum pharetramque à tergo gestat quaqua proficiscitur: quisquis obviam venit eunti, ni procul cedat via, ad pugnam se paret, vel ad mortem necesse est: Rarum iter est sine vulnere, aut cæde: & quem semel interfecerit quis voracissime dilaniat: vescuntur enim cruda carne semper, sępius humana, quam inter dapes maxime opiparas numerant, epotoque cruore madefaciunt. Leges ibi nullę, vi & armis omnia decernuntur: Injuriam passus aut ulciscitur, aut succumbit; unicum hoc valet petitum ex antiquo jure, *Vince & Fruere.*

Duello licet vel vindictam petere, vel suum repetere, vel rapere alienum, quod si plures concurrerint, miscuerintque lites, qui supervenerint, fisco addicuntur, id scilicet à duce decretum est astutius, ut & conjurationum semina opportune præcaveret,

veret, & sub hoc prætextu mensæ suæ honestius fercula procuraret. Sedes Ducalis * *Tarocchium* est, urbs ingens, sed lignea tota, quam nec ex alia materia strui sinet tyrannus, ne non satis commode possit (ubi cives deliquerint) pro suo arbitrio incendi. Nemo hic habitat præter fabros ferrarios, carnifices, Lanios, in quorum officinis propendent pernæ humanę, non secus ac apud nos suillę aut vitulinæ. Hanc lambit *Zornus fluvius* rapidissimus, quem ajunt hyeme media pro more fontium incalescere, & halitus edere maleolentes: Iuxta, Tyranni aula est ardua quidem & excelsa, monti præalto superædificata, quem ipsi *Calavernium* vocant, feruntque ex craniis humanis congestum ad hoc tandem fastigium crevisse; lateritio illa tamen & alto muro circundata: vivit enim ille semper dubius suorum fidei, mavultque suis ferratis portis quam ipsorum amori & observantiæ confidere. Stipatum hunc ferunt decem millibus carnificum? qui omnes hujus & iræ inserviunt, & palato. Si quis peregrinus rerum igna-

* Garzonius Discurs. 13. *Fatuos furibundos* vocat *Da Tarocco*: hinc nomen istud.

ignarus huc fortassis appulerit, statim res fisci est, apponiturque Duci cœnæ caput; quo genere non minus delectatur ille, quam nostri qualibet ave rara, vel pisce; nec minus studiose carnificum opera hanc sibi prædam disquirit, quam Vitellius olim Phœnicopterum linguas, & lactes murænarum: Æthiopes illi turdorum loco, nostri vero coturnicum: agitur tamen cum illis benignius qui tantum animi gratia palatique, nec ob crimen aliquod commissum, trucidantur: Non secus enim ac cum Eurydice Olympias egisse fertur, dat illis optionem εὔνως σφάκτης potestatemque quodcunque mavelint mortis genus eligendi, ferrone perire malint, an capistro.

Sueton. Vitell.

Diodorus Sicul.

Hujus in Palatio nihil tam celebre est quam Sacellum Inquisitorium, ipsis *Sancta Carniceria*, ędes sacra Furiis ac diis infernalibus; quorum omnium statuę è Gagate, & Cotalio horribili figura sculptę, & visuntur, & adorantur.

Hic omnia cernes & cruciatuum genera, & mortium, Centum pati-

bula, nec pauciores rotas Ixioneas, ſecures, gladios, furcas, funes, fuſtes & ſemeſas ærugine Bombardas, ut ſatis conſtet iſtis (priuſquam vel Europæis vel Chinenſibus) machinę hujus lethalis uſum innotuiſſe. Mille hic fumant altaria, igne perenni, in quibus indies litatur inferis, & Duci: Animis enim Furias, cadaveribus vero Tyranni ingluviem quotidianis Hecatombis placare ſtudent, cruoris quod ſupereſt arte quadam ſua rarefactum, ne tanto tempore congelaſcat, doliis quibuſdam, inſtar vini Maſſici Falernive, Duci poſt multos annos propinandum, aſſervatur. Fons Sanioſus, *Di Marza*, per mediam currit Libitinam, alluitque fœdatum ſanguine pavimentum.

Incolę ſemper ferè curſitant in via, ſemper anhelant, ſudantque: Duo hic miraberis Lector. Neminem videbis non aut mancum, aut mutilũ, inter quos ille demum formę palmam obtinet; cui facies maximè fuerit cicatricoſa: ſenem hic videbis neminem, vix enim cuiquam contigit horum ad mediam uſque hominis

nis ætatem supereſſe.

In media fere regione Palus eſt *Coledochia*, non minor profectò illa Mæotide, nec ignobilior, cujus aqua colore flava eſt, ſapore amariſſima: Exundat iſta ſæpius, ſed incertis temporibus, riparumque oblita per magnam Orgiliꝫ partem furibunda vagatur: quantumque ſoli tangit undarum profluvio (quæ ſulphurea illi natura eſt) non ſecus ac devius Phaëthontis currus comburit: Jam tum vaſa ſibi implent accolꝫ: credentes hoc liquore crebrius hauſto acui ſibi animum, & ad quidvis audendum concitari: Sed cave fallaris Lector: hæc ego auditione accepi ſola, non auſus intueri coram, memini quid Gallus ille olim toties mihi à nobiliſſimo, ingenioſiſſimo Baconio inculcatum, *Il faut menager la vie*: Aſpera nimis erat hæc Moronia, quam ut me ferret hoſpitem; Manſi ego ſalva & bene curata cute Pazzivillæ: ſatius mihi ratus in hoc negotio, credere quam experiri.

Hoc nomen eſt veſiculæ bilis receptaculo.

CAP. IV.

Moronia Fatua.

NVlla Moroniæ pars tam ãtiqua, vel tam numerosa est quam hęc, quæ *Fatua* vulgo nuncupatur, cujus incolæ Aborigines se *Morònos* venditant: hæc itaque non aliter regionũ mater audit, quam urbium Pazzivilla, ac proinde in medio quasi tam lepidi corporis umbilicus locum habet. Nam ab Austro *Aspera Moronia*, ab Oriente *Mobilis*, ab Occidente *Pia*, à Septrione *Felix* hanc mediam cingit quaqua versum: Pars australior *Sciocca*, magis ignava est, ac pituitosa: illa quæ Aquilonem respicit multo & operosior, & rerum agendarũ peritior. Ni testis oculatus fuissem morum factorumque stupidissimæ gentis, non credidissem herclè naturam tam brutis animalculis rationem, divinissimum munus indulsisse. Omnes enim illa in parte quæ Maninconiam Moroniam attingit, more quadrupedum incedunt proni, nec (quæ illis mira simplicitas) aliud genus ingressus cognoverunt.

Nec

Nec tuguriolum hic ullum cernes, partim quod ipsi domunculas sibi parare nesciant, partim vero quod ab alio structas ingredi non ausint, ne tecti ruentis mole supprimantur. Multi hic quotannis præ mera inedia ac frigore moriuntur, quippe qui nec cibum coquere, nec vestem concinnare, nec sternere lectum, imo ne congrue quidem eloqui norint: Nemo parentem suum novit, aut filium, aut uxorem; nemo redeundi viam qua prius egressus est, nemo ursum ab ove, leonem à catello distinguit: Imo sunt qui ignorant qua tandem via cibum sibi paratum stomacho ingererent, per naresne an per aures, aut si quod aliud minus aptum foramen. Denique; nec enim hic libet immorari; finge tibi quodvis Arcadicum pecus humana donatum specie, habes germanum *Scioccia* indigenam.

Sect. 2. *Baveria.*

Pars reliqua *Baveria* ingeniosior est digniorque, & viatoris pedibus & oculis fastidiosi Lectoris: Populus

Terra Nugonum.

pulus enim sagacissimus sibi visus, rerum omnium causas subtilius indagatur, nec nisi altius petitis rationum momentis acquiescit. Ab incunabulis monoculi sunt omnes, quippe statim à partu oculus alter velut superfluus eruitur: quod clausâ semper altera palpebrarum, & distinctius cernamus & intentius: pars nuda incedit, ut induandi & exuendi pareant labori simul & tempori, pars tecta sibi parat, sed absque septo vel pariete, ut ædes eo magis sint perspirabiles, ac proinde salubriores: Pars nidos sibi struunt avicularum more altissimos, ut cœlo sint viciniores, Omnes & opinionum & operum singularitatem quidam mire sectantur: Horum quidam auram captantes popularem, vix profecto credenda moliuntur: nam quosdam videbis capite incedentes ac brachiis, alios aliis plumisque cera junctis instructos audaci volatu, alites, Dædaleo more, imitaturos, ut *Calain* & *Zethen* Argonautarum socios ab inferis putares surrexisse.

Mountebanks. Alios ut Thessali quidam Veneti solent, prodigia naturæ artisque, ungue-

guenti, aut aquæ, aut machinæ alicujus ſtupendos effectus hianti popello gloriofius oſtentantes: Alios denique arte. pol bene lucroſa è viliſſimo metallorum, aurum educentes: Rideres profecto horum operoſam ſtultitiam, ſpem toties eluſam, toties redintegratum: Ex iſtis quoſdam audio adiiſſe pridem oraculum de tam dubio difficillimi negotii eventu ſciſcitaturos, quibus illico Pythius, *Travallez*, diſcedunt alacri animo conſultores, ſibique jam annuiſſe deum gloriantur, perduntque iterum ac denuo repetitam operam, & cum opera facultates, nec intelligunt ſe tempeſtive à præſcio numine admonitos, ut Vulcania hac fraude jam ſero ſpreta, marræ inſudarent ac ligoni.

Recitat de cantatum a plebe rythmum. Libavius, in hanc ſententiam. *Alchymia eſt ars ſine arte, Cujus ſcire eſt pars cum parte, Medium eſt ſtrenue mentiri. Finis mendicatum ire.*

Sect. 3.

Vrbes Moron. Fatuæ ſcilicet Baveriæ: Metrop. Pazzivilla.

PRima hic omnium occurrebat mihi *Duricoria*, urbs nõ contemnen-

nenda, quæ tamen nihil habet quod moretur viatorem: huic proxima *Pratensis Villa* Senatorum prudentiâ nobilis, qui non ita pridem cœlo nimboso pluvioque, de arcendo imbre consilium inierunt, Alius pulsandas monet urbis totius campanulas: Alius, (quod Italæ mulieres solent ut ingruentem avertant tempestatem) diri odoris pabula sub dio comburenda: Tandem gravissimus hujus ordinis surrexit, suasitque, ut quicquid in se nubes complecterentur aquæ, destillare sinerent, nec dubitare se quin hoc pacto pluvia sit tandem sua sponte cessatura: sed urbium omnium domina Pazzivilla est, sita quidem partim in planitie uliginosa, & palustri, partim vero in montis editioris latere, ita ut pars utraque aquilonari vicorum descensu continuetur, procul ab omni nemore, ac fluvio, Montosa pars valli nivem suppeditat, vallis monti aquam in puteis stagnisque diutius reservatam, Portas habet sedecim, quas eo consilio struxisse ajunt fundatores, ut quadruplo ditiorem aliis haberent civitatem.

* Villa & Historia Italis, bene nota. Moresin. de orig. Relig. Pap.

tem. Forma non rotunda, non ovali, ut urbes aliæ, sed media inter cylindricam, & inversam pyramidalem; plane ad effigiem humani corporis composita: Nemo hanc formam mirabitur ilicet, qui noverit Belgium Leoni, Peloponesum platani folio, Italiam tibiæ mortui hominis, corio bubulo Hispaniam, utramque peninsulam orbis Atlantici piscium pulmonibus, Asiam crocodili pelli assimilata: ut simul ac istam videris, Colossum aliquem humi stratum, vel Prometeum Caucaso illigatum, te à longe putares conspicari. In ipso montis vertice forum collocatur, quippe quod caput urbis est, sensumque & vitam reliquis administrat, quę res quantum laboris facessat bajulis, dum supellectilem quamcunq; præsertim dolia majuscula, vino vel cerevisia plena contra declive collis dorsum impellunt, conjectare Lector, & ride: videreris tibi centum videre Sisyphos, vano nisu saxum provolųętes, qui fortassis ubi ad umbilicum usq; montis, magno conatu anheli sudantesque ascenderint, alterius dolii decurrentis impetuosissimo cũcur-

curſu, non ſine periculo repelluntur. Hic habitant graviſſimi ac honoratiſſimi ſenatores, qui hinc velut è ſpecula totam urbem commodiſſime poſſunt intueri: Cervix huic adjuncta eſt viculus brevis & anguſtus, Lictorum ſedes & Bedellorū: Inſtar ſcapularum, brachiorū, ac manuum, ſunt utrinque vici duo, quos occupant artifices pauci quidem illi, nec nimium periti. Pro trunco hujus urbici corporis platea latior paulo & excelſior, hoſpitiis deſtinata, quæ ad lumbos uſque porrigitur: Etiam ipſa pars qua ſedemus, pulchre videtur referri depreſſiore montis loco, ubi cum planitie paulatim conjungitur. Lenones hic habitant, lupæque, & quotquot urbi mundandæ dant operam, cloacarii: Crura & pedes binos ad mediam vallem protenſos bajuli ſortiuntur, ac viatores: Ædes ad unam omnes carent fundamento, quippe ajunt ſe malle lapides effodere, quam ſepelire: AEdificia ſibi ſtruunt excelſiſſima Senatores, ut quo cœlum propius attigerint, eo magis incaleſcant, & inferiorem hanc terræ acriſque inclementiam effugiant:

Nul-

Nullam non domum cernes probè pictam utrinque, & majorum omnium præsertim, imo & hospitum nominibus inscriptam. Muro bianco charta di matto.

Sect.4. *Senatus PaZZivillanus.*

ME illic agente, consilium ceperunt Senatores, quibus potissimum modis ad urbis sive dignitatem, sive amœnitatem, seu denique securitatem fieri posset accessio: Alius aliud suasit, pro sua quisque facultate, & prudentia: Primus quidem mare illuc per multa milliaria, perque medios montes civium industria deducendum: cujus proximitate urbes alias mirum in modum ditatas ipse animadvertisset. Surgit alter, ac moros à fronte renuit, neque fidendum ait tam fero voracique elemento: cujus perfidis fluctibus multæ præclarę civitates absorptæ fuissent. Alius ergo miros suadet aquæductus, ab ima valle per tubulos quosdam petendos, quod nō dubitat facile posse fieri, cum aquam sæpius viderit spōte sua è puteis ebulliisse, seque, quod nihil habuerit quo in spatiū angu-

anguſtius coarctaretur per totam planitiem diffudiſſe: quodque è contra cum pluvialis aqua de ſummo monte deſcendat, unda undam propellere ſoleat & præcipitare; idem proculdubio factura ſit aſcendendo. Alius monte novo aliquanto altiore cingi urbem mavult; civium manibus è ſubjacente valle eruendo; cujus quidem conſilii quadripartitam rationem attulit. Primo, ne totum orbem teſtem haberent Pazzi villani, quid in urbe, præſertim à ſenatoribus, geratur; dein urbis & muniendæ cauſa & augendæ, ac denique propulſandi frigoris: quo facto, pontem vult è ſolida firmaque materia altiſſimum exſtrui, qui à prioris montis cacumine ad alterum uſque porrectus, & ambulationibus inſerviret, & vecturæ. Exſurgit alius ac ſubridens, rogat quomodo tandem vallis montem poſſit parturire, ac præterea ut hoc poſſe fieri concederetur, pontes maxime omnium patere periculis; nam ſi tantillum laberetur jumentum vel viator, ne ſalus ipſa ſervare illum poſſit, quin exemplo pereat neceſſum ſit, plerunque etiam

(quod

(quod pejus est) non sine brachio aut crure misere confracto: Malle se aliquid consulere quod plurimum secum ferat dignitatis, nihil periculi, nec multum laboris: Quocirca si benevoli cives sibi monitori auscultarent, id sibi longe optimum videri, ut unaquæque domus pro mole sua pyramidem sibi altiorem erigeret, cujus apici summo gallus æneus argenteusve, aurea crista insignis, quavis aura versatilis insideret, in unaquaque pyramide horologium collocaret, singulis horologiis campanulam adjungeret, nec dici posse, quam elegans ac jucundum spectaculum, tam frequens excelsarum pyramidum series adventantibus peregrinis videretur, quamque per horas aurem deliniret tot tintinnabulorum jugitur sonantium harmonia: Acclamatum est uno statim ore tam commodæ, facili, gravi petitæque altius sententię, ut jam deinceps hospes quisquis, mea sequutus vestigia, illo fueris in posterum peregrinatus, urbem sis longe elegantiorem cultioremque invisurus.

Sect.

Sect. 5. *Spesius tractus.*

Terra stult. prodigorũ. *Tria præcipua prodigalitatis subjecta, Canis, Alea, Accipiter.*

SPesius tractus huic adiacet olim ditissimus, in quo nil celebre vidi, præter *Saltum Actæonium*, *Cubæam*, urbem octangularem, & *Milanam*; Incolæ bonorum certe omnes profusissimi sunt, viasque excogitant quicquid habent ingeniosius prodigendi, quidam enim cani venatico, alii vero accipitii, aut miluo; alii cubo eburneo chartæve pictæ ampla insumunt patrimonia; imo ubi sola vestis suppetit, hanc vel hastæ subjiciunt, vel deponunt collybistæ, ut habeant quo voluptatem suam instructius insequantur. Sed regio hæc num ad *Fatuam Moroniam*, an *Felicem* pertineat, mihi quidem incertum est. Penes quoscunque fuerit olim, stat mihi ante hunc diem veteres migrasse colonos; & si quos hæc regio jurisperitos aluerit, vel fœneratores, juratim terram sane pulchram & fœcundam, istos diu abhinc novos dominos salutasse. Vbi nihil superest, vel quadris victitant alienis, vel de publico forsan aluntur. Celebre hic est *Azotium*

pro-

promontorium, Asylum miseris debitoribus; quo confugiunt quicunque foro infeliciter cesserint; novimus & ubi qui solvendo sunt satis illuserint istic mœstis creditoribus qui si forte fugientem huc fuerint prosequuti, & ab ara retraxerint invitum, rei jam læse religionis, à summa quidem arce præcipitantur; Hic parentes etiam superstites, nostris (ut videtur) indulgentiores, filiis vix dum adultis integrum demandant patrimonium; & moribundi uxoribus plerique rem totam familiarem, agros, suppellectilem, neglecta prole, legare solent: quod si illæ vitam priores excesserint, tantum insumunt funeri, quantum filiæ elocandę inserviret.

Moresin. Sc. in lib. de Orig. rel. Pap. hoc idem de Britannis.

Sect. 6. *Lisonica gens.*

Terra adulatorum.

PRo vestibulo Felicis Moroniæ sedet *gens Lisonica*; omnium quas vidi prodigiosissima; bifrons, bilinguis; ex antica parte simiam, postica canem referens, ut ex homine, cane, simia tota composita videatur: Hic fidem mihi faciet gravis author *Münsterus*, qui ex altera saltem parte Indos quosdam hac forma descripsit:

Nata

Nata quidem ad serviendum: pars maxima se generosioribus vicinę gentis volentes vendunt aut emancipant: Etsi vero tam stupidi sint, ut nihil ipsi possint laude dignum excogitare, optime tamen norunt quicquid usquam viderint imitari: nec quid aut induunt, aut agunt, aut loquuntur, cujus exemplar sibi aliquod non proposuerint; me illic agente claudicabant altero pede omnes; & inter incedendum usque screabant; eo quod prçfectus Lisoniæ *Civiflonius*, crus sibi fregisset pridem, & catarrho diuturniore laborasset. Horum plerique tonsores, pararii, vel denique lenones sunt, sunt quidam, ut ajunt, inter hos & aulici, habitu non contemnendi: nec quis profecto Hispanorum mimus est, præ istis Lisonicis. Alloquere & intuere quempiam, Is incurvato prius genu & exosculata dextra, ultimam clausulæ vocem reduplicat, vultuque renidens, quicquid tibi gratum fore retur, blande regerit, non tamen sine immensa titulorum congerie: osculo dein altero claudens sibi labia, pendet ab oculis tuis, anxius ut tibi re-

O imitatores, servum pecus.

reſponſum arriſerit. Tu modo iſtis annue, & perge fari, quicquid dixeris, velut oraculum datum divinitus in tabellas refert, cœlum ſuſpicit, teque pronus veneratur. Deum non agnoſcunt iſti præter illum, cui ſe addixerint in ſervitutem, hunc aris, geniculationibus, precibus colunt ſupplices: Hæc omnia altero quidem ore fiunt: ſed nullum unquam ex hoc ore verbum egreditur, quod non interea altero (canino ſcilicet) clanculum retractetur: Hoc in tractu offert ſe prima omnium *Loverium*, urbs alta & ſpectabilis, ſed tam parum ſolide conſtructa, ut ſperare nequeat diuturnitatem: Bugio flumine & ditata plerunque & aliquando etiam ſubmerſa: & vicina huic *Babillarda* villa ſtridula, cujus incolę nunqum tacent: Aſſurgunt hinc montes, ſeque ipſi exuperant uſque ad *Chatovillam*, pagum ſane inclytum, cujus incolæ nunquam non rident: conjungitur huic amœniſſima *Piacentiæ planities* quæ demum in *Pipuliam* definit paludem: illa rurſus in *Verguenſam* infame oppidum; quo exulant malefici om-

omnes, & quos vocant, *Medrosi*.

Cap. VII.

Moronia Felix.

Terra Thrasonum, vel, Stultitia gloriosa.

MOronia vere Felix, sive amœnitatem sive opulentiam spectes, Australiorum regionum facile principatum obtinet, quod si quantum præ se fert divitiarum, tantum revera possideret, vereor ne huic Aquilonari etiam orbi palmam præriperet, sed istis mos est, & quæ non habent simulare, quæque habent ostentare gloriosius. E longa & lata montium serie, planities continua fit per milliaria Germanica 60. protensa, quæ situm præbet Felici Moroniæ longe quidem jucundissimum: cujus imis pedibus oberrat *le-Saisi* flumen spectatissimum, & ferè totam cingit. In declivi fronte collis tam pulchre continui, facile concipiet Lector, quanta cum amœnitate spargantur urbeculę: ex altera parte vallem despicientes florentissimam, rivo certe perquam elegante pererratã, ex altera æquabili pascuorum agrorumque tra-

tractu satis ædepol spatioso septæ commodissime: Vrbes hic non tam frequentes, quàm altæ nitidæque, fabrica tamen valde tenui; & quicquid externo splendore pollicentur, intrinsecus nimium sordidæ: Hic qua parte Rodomantadii colles inæquale dorsum viatoribus calcandũ præbent, *Vantarole* urbs est, quæ & *Salacona* dicta est; superba ædificiis, sed ad mendicitatem indiga: vicina huic *Menosprecia*, lutosa mehercle villa, cui nomen merito concesserit illa Parisiorum. Ab hac non multum distat rupes altissima, & notissima *Derrumbiada*, non multum absimilis Peccanæ illi apud Anglos, cujus pars summa solo æquabili continuatur; descensu tamen adeo recto ac præcipiti, ut si ab alto despicias, lævis saxorum superficies turris editissimę, humanaque opera politæ latus referre videatur: Multis funeribus funesta rupes: ut non plures crediderim è saxo Tarpeio cecidisse. Alteram orbiculi hujus Moronici partem occupat *Antoia* urbs, incendiis ita nimis obnoxia, ut ne vetus Roma tã sæpe flagraverit: quod par-

Cic.ep. ad *M.* Fab Gallum.

The Torre.

tim ex civium negligentia, partim ex ædium oleosa materia evenire credibile est, & vicina huic *Putanium*, quam alii *Villam Vitiosam* appellant, è silice cæmentoque durissimo structa: Dein prope ditioris Vcalegonicæ fines, offerunt se latissimi *Sinobræ campi*, ubi populus nunquam non feriatur, & in laborantis quosque severius animadvertit: cujus præcipue urbes *Iugaria*, & *Risaglium*, quarum ex orientali latere ubi *le-Sain* cum Oisivio flumine undas commiscet, *Saltuares* illas *insulas* (olim, uti videtur, Plinio cognitas) conspeximus, quæ in symphoniæ cantu, ad ictus modulantium pedum moveri perhibentur.

ἀέργοις αἰὲν ἑορταί. Hesiod.

Plin. l. 2, 95.

Sect. 2. *Mores Populi.*

NEmo hic non se nobilem gloriatur, statuas atavorum & insignia nec non immensam prosapiæ suæ seriem, etiam ab annis ante orbem conditum 10000 (cum illis apud Diodorum Siculum) derivatam ostentans. Vidi istic prælongas quorundam porticus, cognationis stirpis-

piſque ſuæ rectis, obliquis tranſverſis lineolis depictas, quorum tamen avos, vicinia ſartores, carbonarios, equiſones pridem agnoverit. Nec quis nobilium eſt quos *Scodigos* appellant, quin prædia etiam habeat ſuburbana, colonis quibuſdam, *Vellacos* vocant, vulgo elocata, ſervis vero plerique *Liſonicis* utuntur: Victu & prætenui & viliſſimo contemti ſunt ipſi *Sennaladii*, nobilium generoſiſſimi: Sunt tamen ex his, qui ſemel in anno ſub finem forte Decembris convivia quidem agitant ſplendidiſſima, magno cum apparatu, & hoſpitum numero, & ferculorum, ut uni huic feſto reditus fere omnes inſumere neceſſe ſit, deinceps vero, quod ſupereſt, ita genium defraudent, ut pene mera ſe fame enecēt. Sed pars maxima ventrem contemnens, eiq, quantūvis obſtrepenti aurem obturans, quicquid uſpiā ſuccurrit veſtium, precio deteritsita tamen ut pudeat eſuriem fateri palam quā ut honeſte diſſimulent, & ſaturitatē cōtra mentiantur, quoquo ambulant à prandio, mundare ſibi fauces mantili, calamoque dētes exonerare car-

Vel Eſcogidos, *Hiſp.*

 nis

nis non visæ pridem reliquiis, assolent. Horum cujus non arca, non fundus tantum valet, quantum gladius & quod gerit, amiculum: Non desunt ex istis qui centum pluresve *Mangeguadagnos* (ii servi sunt) alunt vestiuntque; quicquid habent tamen, ut Plautinus ille, cum mutuo non possent, sumpserunt fœnore; vestesque suas à paratio conduxerunt in diem. Vidi, & qui stabulum sibi struxerit vere regium, è longe conquisitis lapidibus columnis marmoreis, multoque ebore concinnatum ipse vero interea tuguriolum humile, angustum, cespititium habitarit. Nomina sibi longissima fingunt, quibus gentis, loci, stirpis, cognationis gaudent aggerere; sed & titulos omnes non uno spiritu contentos, de compositione frequenti concumulant. Plumæ hic præsertim longiores, quas *struZZolias* vocant, non minoris fiunt quam pelles ab hodiernis Moscovitis: Aliqui præterea campanulas argenteas, calcaneis appendunt, quæ ad singula vestigia clare resonantes, oculos ad se vocant prætereuntium, auresque demulcent.

Sic Itali suos ingeniose: Angl. voce Eate-gaynes.

Pauci

Pauci illi qui generis ignobilitatem non possunt diffiteri, excelso tamen animo sunt, & altissima sapiunt: memini in vestibulo cujusdam inscriptum legisse:

** Misero quello chi di persona vile,*
Nasce di cor magnanimo & gentile.

* In aditu montis Fesulani in conclavi quodam scriptum Politiani manis. Tabacc.

Vnum inter reliqua stupebam istic, nec immerito; incolarum plerosque non pane, non cibo, sed fumo herbæ non bene olentis, nec hercle salutaris, victitare; quem ore quidem excipiunt, naribus egerunt, ut ex istis tot interim caminos facere videantur: Morem hunc nescio hercle num ab Indis Moroni, an Indi ab istis didicerint. Fertur enim nobilem quendam ingeniosum, sed nequam *Topia VVaralladorem*, fumi pessimi originem ab Indico quodam Dæmone petiisse; sunt tamen qui Indos quosdam *Torrida Zonios* authores fuisse putant tam clari suffitus, ut intus etiam nigrescerent: perplacuit his scilicet suus color, nec æquum videbatur, ut ejusdem corporis interior pars ab extima, colore variaret: id scio, dum nares implentur, exhauriri loculos; & plu-

rima hinc generosiorum patrimonia in fumos exhalasse, & è domini sui naso turpiter evolasse: dumque fumant altius elevatæ nares, culinas planissime refrixisse.

In singulis urbibus Antoia præsertim & Putanio, alternę domus sive pueris, sive * fœminis meritoriis destinantur, & annum probatissimę artis pręcium profecto solvunt: Cum his luditur honeste, nec quem pudet notissimum populo prostibulum vel in foro, imo ne uxore quidem conscia, salutare immodestius: sunt & qui miseras uxorculas officiosissime suis scortis famulari cogunt.

* Scorta Romæ Julium nummum solvunt Pontifici; exhinc census illius annuus excedit 20000 Ducatos. Paul. 3. in Tabellis suis habuit Meretrices 45000.

Sect. 3.

Moroniæ Fel. Paradisus.

NIhil habet ulla Moroniæ pars, fortasse nec noster orbis tam nobile, tam pulchrum, quam Felicis Moroniæ Paradisum: mirandum hercle opus, & cujus unius aspectus tanti itineris & tædium satis levarit, & sumptus abunde compensarit. Perstringit à longe oculos mons rutilus,

tilus, totuſque (ſic enim vel eſt, vel, quod tantundem valet, videtur) aureus : Aggeſtus olim opere (uti ferunt) Chymiſtico. Qui tamen ſi lubet ferro metalli robur, experi, in pulverem illico evaneſcit: ſi flamma, in fumum : Cujus in faſtigio, caſtrum ſplende Cryſtallinum , arte non humana (ſicut exiſtimant accolæ) concretum : Etenim ferunt Fortunam è cœlo quondam , deorumque numero exterminatam, hanc ſibi ſedem, terrei ad inſtar cœli poſuiſſe : hic bonum numen beare mortales auxilio, preſentiaque, tamque larga manu profundere inexhauſtas munificentiæ opes , ut quicquid demum credula ſaltem mente quis bonus petierit, ſatque diu expectarit, nō poſſit non aliquādo impetrare. Convolant huc ex omnibus terrę plagis nullius non ætatis ſexus, conditionis homines, ex pia tamen Moronia ; frequentiſſimi , nec quis fere eſt in toto hoc orbe adeo vel impotens, vel eximius , quin aliquando montem hunc & conſpexerit, & ubi licuit, aſcenderit. *Madonna Lauretta*, & divus *Compoſtellius*, & *Parathalaſsia* illa no-

Fortuna ſtultorum dea, vetus illud, *Favet fatuis.*

Semel inſanivīmus omnes.

 ſtra

Erasm. Do. VVal-singamia. ſtra Deſiderii frigent mehercle præ hoc numine: ſtrati jacent in valle innumeri clientes, non ſecus ac globuli candidiores obducunt ſemitas, ubi grandinaverit; Nutum Bonæ Deę religioſe præſtolati: Nec fas cuiquã audaci pede ſacrum collem premere, donec albo vexillo à Sacerdotibus Caſtellanis extenſo, otium ac voluntatem ſuam diva ſignificaverit; Tum clamitant una omnes rauco ſtridore cœlum implentes, MADONNA SCOOPERTA, ruuntque univerſi, viæque ac portæ anguſtias fruſtra queritantur. Dumque nimium feſtinant, alter alteri viam obſtruit; nec dici poteſt quantæ hinc rixæ ſæpius oriantur, imo & pugnæ parum aliquando ſiccę: nam præire volunt omnes, nemo cedere meliori: premunt adſtantes, præcedentibus invident, remotioribus illudunt: Vidi iſtic laterum fortaſſis infirmiorum quoſdam, qui in hac valle pene ſenuerint, quibus nec adhuc datur ingrediendi licentia. Quid rei agant hi omnes rogitas, Lector, & miraris. Certe convocavit omnes habendi cupiditas, retinuit ſpes: nempe vota facturos

Sonus Italorũ, quum D Mariæ ſtatua retegitur.

ros quosque ut Divæ beneficio exoptato tandem bono potiri liceat. Notavi hic alium negatos precaturum amores, alium pacem modo domesticam, alium honores, divitias aliũ: Hic patrui nimis jam longævi funus, ille post tres olim vices munus vacaturum rogat. Sedebat hic prope portam superciliosus quidam rerum Dominus, novissimæ proximã, uti ferunt, monarchiam petiturus: Heic deformes quædam virgunculæ, formæ gratiam, illic anus rugosæ redivivam sperabant adolescentiam, hic sterilis liberos, illic serva libertatem, omnes aliquid, singuli aliud meditabantur. Signo jam dato qui possunt dant sese in viam, montem non pedibus ilicet hoc piaculo est, sed manibus genubusque conscensuri; Medium jam montem magno cum labore assecutos blandius excipit unus è sacerdotibus, nomen sciscitatus & patriam, quod semel acceptum, te interim consistente, voce Stentorea pronunciat, partim ut socios suos ipsum; adeo numẽ prę-moneat, quos qualesque sint hospites habituri, partim ut intelligat prius-

uſquam propius acceſſeris, conſulto prius numine, num ſat tecum attuleris fidei & puritatis. Nam ſi paulo impurior ac depreſſior graviore mali ſarcina iſtuc conceſſeris, conſcia ſatis diva rubeo te vexillo monet in cœnobiolum (loculis purgandis juxta poſitum) relegari: heic aſſervabere donec leviore crumena, mundiore anima fueris ad reliquum itineris conficiendum comparatior. Quod ſi nomen ſorte placuerit, plumbeo te ſigno ſatis inſtructum dimittit auſpicato: Tribus tamen hiſce tibi in aurem ſolenni more prius obmurmuratis, *Spera, Crede, Expecta*, Pergis læto, alacrique animo, cumque ipſos fere palatii gradus attigeris, limen ferreum ſe offert: cui inſcriptum:

Sannazarii carmen.

Fortunam ſi avide vorare pergas,
Illam ut male concoquas neceſſe eſt.

Hujus anguſtiſſimos aditus torvus janitor aliquandiu præcludit, qui tamen mercede facile miteſcit, aperitque tibi non tam portam, quam foramen, cui ubi tu te pronus inſinuaveris multo niſu: En tibi ædes fere cæleſtium æmulas, auro, margaritiſque

que quaqua vorsum renidentes, quarum externa facies nihil infra felicitatem polliceri videtur: Sacerdotum habitus, officia, ritus, templive formam (ne nimius sim) prudens omitto. Tandem (vacat enim per aliquod tempus omnia contueri) accedit alter flaminum, manumque prehendit, simul oculos, faciemque totam linteo velamine revincit, per multas ambages occæcatum ducens hospitem, quoquo lubet: sed uti creduli homines opinãtur, in templum *Bonæ Deæ*, scilicet, profanis oculis non licet Numinis majestatem conspicari. Provolui hic juberis in faciem, sacrumque pavimentum deosculari: nec movere manum pedemve donec te Diva nominatim compellaverit, tum quicquid volueris, audacter profari, quicquid illa jusserit satagere absque vel mora vel diffidentia, factumque iri quantumvis arduum, quod flagitaveris. Sed quæ religionis tantæ merces est, inquis, aut quis cultus hujusce exitus? Ridendus hercle, quique splenem agitet vel non petulantem: Illusum est singulis probe, arte quidem multi-

plici, sed adhuc tam clancularia, ut licet inopes dimittantur singuli, malint tamen suam quisque sive inertiam, sive incredulitatem, quam fidem Numinis criminari. Facto semel voto (puta honorem postulari) illa benigne annuit: Et in primis jubet supplicem post horas aliquot *sacram* ut appellat *potiunculam* ebibere, qua sordes animæ ultra abluantur, ipseque dignior fiat, qui exoptatam felicitatem reportet. Deinceps etiam procumbat aliquandiu, donec ipsa denuo fuerit allocuta, tum vocem observet sedulo, ac jussa capessat alacer, nec dubitet quin voti compos illico sit evasurus: Tantum ubi omnia ex animi sententia successerint, credat eodem in statu æternum permansura, gratoque animo numinis beneficentiam recordetur. Acceptum jam calicem absorbet hospes lubentissimè, suavissimumque sacri liquoris gustum tacite sibi plaudit; nesciens interea poculum revera soporiferum sibi propinari, mulso, papavere, opio, lactucis, atque id genus herbis medicatum: cujus haustu consopitus illico, non secus

ac

ac cadaver aliquod à veſpillonibus hac illac in palatium aſportatur, denique intuentium cachinnis exceptus diu, ſiſtitur tandem in cubiculo, lectoque elegantiſſimo, ornato more regio eburneis quidem tabulatis, aurea contignatione, ſtragulis preciociſſimis, ut ne periſtromata æquè ſint Campanica, neque Alexandrina belluata, conſutaque tapetia, in limine miniſtri collocantur, ædepol cultiſſimi, torquibus annuliſque, more aulico inſigniti, expectaturi donec Endymion iſte novus (quod poſt triduum plerunque fit) evigilaverit: Qui demum expergefactus, circumſpicit attonitus: Loci & formam, & precium habituſque miniſtrorum nunquam ſatis miratus, dum ſervi omnes ordine ſuo flexis genibus experrectum ſalutant Regem: fauſtumque diem apprecantur: quodque mavelit hodie veſtis genus officioſe percontantur: Tandemque afferunt infiniti pene valoris veſtimenta. *Dant digitis gemmas, dant longa monilia collo*, & obſitum margaritis diadema capiti imponunt, Induſiato denique ac pata-

Plautus pſeu. 1.

Ovid. Metam. 10.

Plaut. Epid.

giato

giato ubi prandendi tempus institerit, mensam dapalem ac munificam instruunt: spectaculis, ludis musicoque concentu reliquum die consumunt. Quin & cœnatur adhuc apparatu magis (si fieri potest) regio, clauditur autem inscio cœna eodem ipso poculo, quo gravissimus ille sopor pridem inductus est, unde bonus ille rex Ephemerus

Virgil. Æn.3. *Iam simul expletus dapibus, vinoque sepultus,*

per posticum effertur foras, & habituque proprio, sed aliquantulum fœdatiore in trivio miser exponitur: ubi cum ad se redierit, rursum stupet, quis & ubi sit, fueritque pridem, ac revolvens animo nuperam, modoque amissam beatitudinem, ejulat misere, semet incusans sive inertię, quod Divę tam præsentis vocem (prout in mandatis habuisse meminit) secundo non auscultaverit, vel ingratitudinis, quod tam inopina dignitate nimis elatus, donantis munificentiam neglexerit: Cedit ergo lachrymans, quiritansque, & id unum in ore habet animoque, *Fuimus Troës*, hortatur reliquos, ut pergant, se-

que

que præbeant divę morigeros, omnium se mortalium fuisse pridem felicissimum, sua solius culpa excidisse: unde alii auspicatiora sibi omnia pollicentes magis adhuc proritantur.

Cap. VIII.

Pia Moronia.

Terra stult. superstitiosorum.

AB Occidente Moroniam Felicem ac Fatuam claudit Pia: regio quidem suopte ingenio satis ferax, ac elegans, maxime tamen squallens incuria dominorum: Nam ubi duas in partes tribui solet, (*Credulium* & *Doxiam*, Priorem longeque ampliorem qui colunt, ita toti ritus quosdam putidos ac ridiculos sapiunt, ut suorum omniũ curam abjicere, Deo dignum opus existiment. Villę hic & optimę & frequẽtissimę sunt *Lipsanium, Maravilla*, nec dissitę procul *Crocetta, Rodillia, Bascia*: ulterior pars fere sola, quæque vix novit colonũ: Hujus pagi *Ceniza*, *D'ayuno*, *Gymnopodilla*, *Fovetta* fortassis ob situm parum salubrem fere derelicti sunt: nisi quod semel in anno, sancta quadam die Veneris, ab omnibus Moronis

Quotquot religiose insaniunt, vel superstitione laborant, vel novis ac hæreticis opinionibus: Hinc Mor. piæ duo comitatus.

nis Piis inviſantur: Non tacendum hic eſt in monte *Bagnacavallino* Ptochæum in tote orbe maximum, ac luculentiſſimum, *Hoſpidale di pazzi incurabili*, impenſis regionis totius, & extructum, & ſuſtentatum; cujus præfectus hodie *Garzonius* eſt, vir ſane integer, ac ſolicitus, qui in claſſes quaſdam pulchre diſtinxit hujus ordinis univerſos: Nulla Moroniæ pars eſt, quæ non colonias huc aliquot impotentiorum emiſerit.

Hoſpidale di pazzi incurabili à Thoma Garzonio de Bagnacavallo ſcriptum parum feliciter.

Sane præter Cœnobiola, quorum hic numerus eſt; nec plures villas eſſe crediderim, nil præter ſordidiſſima tuguriola, quale VVeſtphalum illud Lipſii hoſpitium cernes: Nemo hic lacertam terræ poſſidet; omnes enim ſe Cœnobitis Moroſophis manciparunt, agroſque paternos aris fociſque divorum conſecrarunt: verbo dicam, Quatuor hic ædium genera conſpexi, *Templa*, *Cœnobia*, *Proſeuchas* vel πτωχοδοχεῖα, *Tuguriola*, nam præter religioſos vel mendicant omnes, vel ſerviunt. Religioni cuidam devotiſſimi omnes ſunt; quid tamen, cuive Deô cre-

credant, neſcire profitentur, negligunt diſquirere: ſat illis eſt majorum veſtigia ſequi, & ſanctorum olim ſedes occupare: Etiam inceſſu gaudent cruciplici; ſic enim pedes promovent, ut alter alteri è tranſverſo poſitus crucis formam referat, eodemque more brachia dolentium geſtu implicata gerunt: Templa quidem habent cultiſſima, in agris tamen cuivis lapidi, ac ligno ſupplices proſternuntur; globuloſque ligneos & ſuccineos agitant. Non tot iſtic capita, quot divi: paucos præ iſtis annumeravit Varro veteribus Romanis; qui fere omnes lapidei, lignei, farinacei, non deſunt tamen qui equos, ſues, canes in hoc albo reponant, novos indies creant ſibi Deos, aliquando etiam uno die, in uno templo ducentos. Quod ab AEgyptiis olim factitatum legimus, hic ubique comperimus, ſuperſtitum ędes negligi, honeſtari funus ac monumenta mortuorum, Novimus 800. libras cerę uni non maximo funeri inſumptas. Hic ego me ſepultum volo, caveoque teſtamento iſtuc delatum curent hæredes, comi-

Tot ſolent inſumi ſepulturæ cujuſque Cardinalis. lib. ſacr. cæremon. 1.

teſ-

tesque mihi adjungi cupio quotquot peregrinationem hanc meam vel damnant, vel plus æquo mirantur; vel posthac imitandã proposuerint. Nam præter tædas, incensationes per circuitum, oscula, campanularum sonum, aspersiones, quæ animę pridem exautoratę non parum prodesse putantur; parafrenariis duobus illud ex lege loci incumbit, ut duobus flabellis ex serico nigro, insignibus, mortui depicto, muscas à cadavere arceant, *etiamsi tempus hyemale sit, quando muscę omnes non minus cadavere servato mortuę jacent. Nihil tractant non exorcizatum prius, aquam, oleum, salem, ceram, balsamum, gladium militarem: Rosæ aureæ magna cum solennitate benedicunt, Baptizant vexilla, & campanulas. Sed quod quis magis stupeat, in urbe *Maravilla*, certum est lapides audire, lachrymari, ridere, pedem porrigere ac retrahere, sanare morbos, sanguinem emittere, ac nihil non cottidie præstare quod à quoquam vel hominum vel Semonum, vel Dæmonum fieri possit.

* Ipsa verba sunt lib. primi sacr cærem in exeq. Cardin.

Sect.

Doxia: altera Moroniæ Piæ provincia.

D*Oxia* pars altera, varietatis plurimum ostentat, elegantię parum: nulla hic villa, nulla domus ad alterius formam construitur: singulæ novam, quamque fieri potest à reliquis discrepantem adfectant: Nusquam plura vidi, minusque obliterata vetustatis monumēta [a] Chronia hic villa est, septemque Pyramides dirutę aliquantulum à Saturnianis olim erectæ in memoriam septem Angelorum, quos præter Dei conscientiam, mundum credebāt fabricasse. [b] Dein *Abraxia* urbs, Basilidianorum quondam sedes: quæ veterum decreto ex ædibus cōstabat 365. nec fas est vel unam prioribus adjicere, aut vero unam demoliri: Nec abhinc multum Pagus [c] *Borboriticus* statuas ostentat [d] triginta, ævo semesas, dextris quidem conjunctas: octo tamen, reliquis majores, saxa

[a] Saturniani docebant septem Angelos fecisse cælum, præter Dei conscientiā. *August.* [b] *Basilidiani* cælos 365. esse: secundum numerum literarum nominis ἀβραξάς. [c] *Gnostici* sic dicti sunt, quasi cœnosi, ob insignem in suis mysteriis turpitudinem: Etiam *Carpocratiani* sic dicti, Iren. l. 1. c 24. [d] Valentini Aeones 30 Ζυγῶν, &c. è quibus primogenita octonatio (verbis Irenæi) præcipua erat, & origo reliquarū. Hi voculis Hebræis in suis sacris plerūque utebantur, ibidem Irenæus.

H

Hebræis characteribus inscripta: Quin & hic desertum paulo sylvosius est, in quo *e Elcesaitas* vel *Ebioneos* diu ferunt vixisse: rudera quædam aræ vetustę adhuc remanent, in qua coacti sacra fecerunt diis Ethnicorum. *f* A sinistra tumuli cernuntur Heracleonitici oleo, balsamoque etiamnum madidi. *g* A dextra vallis *Ophitica*, ubi sacri Colubri spelunca, & altare quod toties incantationibus evocatus ascendisse fertur: Etiam subterraneę *Cajanorum* domunculæ patent hic peregrinis, inferno, ut creditur, proximæ, in quibus Caini fustis, Iudæque capistrum sanctius asservantur. Ad ripam Hygri lacus, ferrea catena palo affigitur *h Severianorum patera*, quâ illi homines quondam abstemii aquam excipere solebant. Ibidemque angustissima *i Tacianorum* cubilia, mensę mi-

e Idem Epiphanio; Hi (ut Eusebius) fidem in persecutione negandam, & in corde servandam docent.

f Novo modo morientes redimere videbantur oleo, balsamo, aqua, & invocationibus Hebræis.

g Ophitæ Christum colubrum deceptorem fuisse, nutriunt colubrum qui incantante sacerdote egreditur, lambit oblationes regreditur.

h Severiani non bibebant vinum, quod de Satana & terrę germinasse dicunt. August. lib. de Hæresibus. *i Taciani* nuptias damnabant æque ac fornicationes; ergo lectis non magnis utebantur, mensis vero minoribus, quod carnibus non vescebantur. ibid.

no-

nores, ſparſimque jacent k *Montaniſtarum* funeſtæ placentæ, l *Valeſitorum* pumicei teſticuli, m *Manichæorum* agri longe ſpinoſiſſimi, n *Pſallianorum* cellulæ precatoriæ, o *Patricianorum* cruces, p utriculi *Aſcitarum*, q *Pattalorinchitarum* ſtatuæ *Harpocraticæ*, r *Aquariorum* cyathi, & quotquot fuerunt veterum hæreſeωn monumenta. Nihil tamen ita ſplendidum vidit ſeculum illud prius, ac ſ *Rhetorianum* palatium ad omnium plane ædium exemplar ita ædificatum, ut ſuam interea formam videatur ſibi propriam retinere. Manent

k Illi de ſanguine annicu-li infantis punctionum vulneribus extracto conficiunt panem; ſanguinem hunc farinæ miſcentes. ibid.

l *Valeſ.* ſe caſtrabant & hoſpites rem ſe Deo gratam feciſſe ſperantes. m *Manich.* inter alia abſurdiſſ. plantas ſentire & dolere putabant; agrum ergo ſpinis purgare nefas illis videbatur. n Hi *Euchitæ* etiam dicti ſunt, nunquam non orabant, ut his qui hoc de illis audiunt (inq. Aug.) incredibile videatur. o *Patric.* carnem ſuam non à Deo, ſed Diabolo conditam putarunt: quam ergo ſic oderunt ut quidam ſibi mortem intulerint. *Aſcitæ* utres ſe novos vino novo repletos dicebant: utrem circumibant bacchantes.

q Dicti à { πάτταλος / ῥίγχος } per paulum digitum ſignificãtes, qui labiis & naribus opponunt digitos, atque ita ſtudent ſilentio. Auguſtinus δακτυλοριγχίτας appellare mavult. r Aquam offerebant in poculo ſacramenti. ſ *Rhetorius* (ut notat Philaſtr.) quod tamen Auguſtino incredibile videtur, affirmabat omnes hæreticos recte ambulare & vera dicere.

deni-

denique adhuc casta † *Abelianorum* mœnia, quæ prolē adoptatitiam ac alieni patris generosa insignia, sanctasque reliquias palam ostentant.

Hic non ita pridem fundamenta novæ urbis jecerunt parum auspicato fanatici errones, quos * *Erriconicolaitas*, & *Georgo-Davidicos* vocant. Quin & exules quidam ∴ *Virginenses* duraturam hic rempublicam perperam meditantur. Liceat mihi monere orbis universi dominos, reges, imperatores, modo suæ paci ac ipsorum saluti probe consultum velint, hæreticos omnes pacis publicæ juratos hostes, ac perturbatores huc relegent.

† *Abeliani* non miscebantur uxoribus, nec tamen sine uxoribus vivere illis licebat: adoptarunt ergo filios aliorum, generantibus circumquaque vicinis, & filios suos inopes ad spem hæreditatis alienæ dantibus libenter. August. loc. citato.

* *Henricus Nicolaus* & *Georgius David* fundatores turpissimæ illius Anabaptistarum sectæ, quam alii *Libertinam*, nos *The Family of loue*, indigetamus.

∴ *Brunistæ* quidem Angli in Virginiam relegati.

CAP. IX.

Status Politiæ Moronicæ.

VRbium quidem singularum regimen medium est inter Aristocra-

cratícum, & Democraticum. Eligit ſibi populus, quem mavult ſenatorum numerum, qui neque annuum gerunt, neque perpetuum Magiſtratum, ſed pro eligentis plebeculæ arbitrio præſunt, præſidentque: ſi quem habeant nimiæ fortaſſis prudentiæ ſuſpectum, hunc ſtatim oſtraciſmo ſeveriore è ſuis finibus ejiciunt. Provinciȩ autem omnes, nomine ſaltem tenus, unum agnoſcunt Principem tunc temporis *Il Buffonio Ottimo Maſsimo*: Palatium illi in Felici Moronia, prope Piam, *Papagallium*; Is medius inter Imperatorem, & ſacerdotem, mitra ſimul & diademate ſedet inſignis, Pro ſceptro clavis illi præfertur, cum gladio; clarum emblema Divitiarum, & poteſtatis. Clavis enim docet omnes Moroniȩ theſauros illi pateſcere: Gladius, pro libito ſe aliena diripere, ſua defenſare poſſe. Adventanti cuique pollicem dextri pedis exoſculandum porrigit, quem morem diu ferunt invaluiſſe, natum inde primitus, quod quidam ex antiquis regibus chiragra laboraverint: Non naſcitur ille quidem, ſed eligitur, nec tamen

Camera Papagalli, locus in quo Pontifex eligitur. lib. Cȩremon.

Ipſiſſima verba authoris ſacrarum cæ-rem. in conſecratione Pontif.

men ante decrepitam ætatem, ne nimis diuturno imperio populum novitatis ſtudioſiſſimum, oneraret: Sed & ante capellam S. Sapæ. ſedes ſunt duæ porphyreticæ, quibus inſideat oportet eligendus, ut in ſtercoraria examen ſuæ virilitatis ſubiturus. Humeris ſuorum effertur vulgo, non equo, aut mulo, ut ſignificet ſe tantum aliis regibus præſtare, quantum homines jumentis, ſemperque ſub Baldachino proficiſcitur: ſed ejuſmodi ſunt iſta quæ poſſunt ab alio uſurpari, quædam vendicat ſibi propria, nec cui principum totius orbis, communicanda: Nulla enim vectigalia unquam exigit à ſuis, ſed quicquid ipſi ſponte obtulerint, grata manu excipit, larga depromit, Nihil unquam decernit, cui vel unus aliquis procerum refragetur; Leges multas condit, nullas exequitur, nec quid ſancit diu duraturũ; ſi qua lex duas ſenſerit hyemes, obſoleſcit. Vel ſuos vernas familiarius ſalutat menſaque ipſa dignatur, etiam, ubi lubet, & ipſis magnatibus anteponit Paraſitis ſuis quidlibet poteſtatem facit audendi, vel legem quamlibet vio-

Vulgo

um Magellanicū

C. de Victoria

C. de la Craz

Duntius portus

Bercius portus

Insula Tryphonia

Doxia

S A R C I :

Butinia sylva

A N I A .

Ducum castella

Tryphon fluvius

Moronia Pia

m

s Cælavit





violandi, vel cudendi monetam, ſuaque effigie, & nomine ſuo inſcribendi. Plura hic æque facile obſervaſſem, ni ab aulica vita natura mihi ſemper abhorruiſſet.

LIBER QUARTUS, LAVERNIA,

CAP. I.

Situs Laverniæ.

LAvernia ab Occidente Magellanico quidem Oceano, ab Oriente Pia Moronia, & Crapuliæ parte aliqua terminatur; Terra tam prorſus effœta, & ſterilis (ſi unicam provinciam exceperis) ut ex hac potius quam Trinacria illa, veteri, filia Cereris à Plutone rapta videretur; Nec paſtori hic locus nec agricolæ; incolæ tamen ita rerum omnium copia diffluunt, ut nulla mihi in orbe toto ditior, & (quantum feritas illa naturæ fert) gens delicatior viſa fuerit, quicquid enim ullibi terrarum ſplendidum habetur, ac rariuſculum, ſive

Terra Furum, quorum dea Laverna.

Da mihi fallere falſaque dicere pulchra Laverna. Horat.

ſive dolo, ſeu vi rapiunt ad ſe, raptumque pari violentia tuentur: Maxime tamen Piæ Feliciſque Moroniæ ſpoliis Orientalior pars, maritima vero partim Indorum gazis, partim communi quam exercent pyratica, ſe ditare ſolent. Laverniç partes duç ſunt, *Larcinia* & *Phenacia*. Hæc Moroniam & Crapuliæ angulum attingit, illa magis Occidentem ſpectat, & contra vagç gentis Larcinæ morem, ſuis ſe finibus contineri ſinit: utraque valde immanis & inhoſpita.

Prout artis hujuſce duæ ſpecies ſunt; Latrocinium, Impoſtura.

Cap. II.

Larcinorum mores.

Terra Latronum.

* Tryphon inſignis latro apud Aegyptios.

LArciniam ab utraque Moronia ſeparat flumen * *Tryphonium*, cujus undç flexuoſiſſimæ non pauciores inſulas, quam *Raleana Guianorum* faciunt: Tota regio ita ſylvoſa & montana eſt, ut deſerti potius nomen mereatur, & quod de urbe quadam Strabo ad rebellandum quam ad habitandum aptior videatur: In iſtorum ſermone quædam VVallica vocabula notavi, quod ego

ego ex ignotis nostratium peregrinationibus factum judicarim. Larcinensium populus quidem satis numerosus est, respublica nulla, sibi quisque se natum putat, sibi soli vivit, sibi obtemperat tantumque possidet, quantum diripere quovis modo possit raptumque custodire: quoque potentior quis factus est, eo magis timetur, eoque pluribus non tam subditis quam ἀνδραπόδοις dominatur. In certas familias distinguuntur incolæ, quæ singulæ stirpis suæ potentissimo volentes obaudiunt, contribulibus suis parcit quisque & adhæret, reliquos omnes liberrime spoliat. Ab hinc diu exhausta fuisset horum incursionibus utraque Moronia, ni sagaciores præfecti cum libertate salutem ab omnibus familiarum ducibus magna auri vi quotannis redemissent.

Forma corporis nihil fere à nostris discrepant, nisi quod omnes (exceptis insularibus) aduncis unguibus sint, & quasi accipitrinis, id quod Laverniis omnibus commune est. Montanam partem occupat *gens Sbanditica*, cui umbrā quidem com-

ὅπως ὀξύχειρ ἐστί, d Mercurio Lucian.

modam ac salutatem largitur *Butinia* sylva, præ qua illa Germanorum Hircynia, decem latronum millibus stipata, pomariolum angustius, aut mera quasi sepes videtur. Castra hic passim cernes, non hercle nimium splendida, sed & multa & munitissima; in quibus tuto sedent familię cujusque duces, prædamque à vicinorum periculo sartam tectam conservant, dum plebecula novum sibi quotidie sub quavis arbore lectum sternit, more Tartarorum, & assiduas viatoribus insidias struit: quos illico bonis omnibus expoliatos non letho dedunt, quod Itali & Germani insidiatores solent (nec enim quicquam verentur, ne cui pœnas dent commissi latrocinii) sed vinctum ad sui Ducis aulam deducunt, obstringuntque juramento se illi in perpetuum fideliter serviturum: qui ubi vel fidem violaverit, vel per menses aliquot nihil cuiquam surripuerit, vel non vacuum viatorem lubens prætererit insalutatum, laqueo damnatur: Ita crescit indies istorum potestas, & ex quo lata Phænacibus lex est de

filiis natu minoribus prorſus exhæredandis, evehendiſque primigeniis, auxit non parum ſpontanea pubis etiam nobilioris acceſſione. Pii Moronii non tam cruces colunt, quam iſti oderunt, quanquam ergo illi ex initi cum Laverniis fœderis tenore incolumes ſe domi continere poſſint, ſi tamen huc fuerunt evagati hoc uno nomine ſuſpendio plerique pereunt, quod hoc ſigno iſtud ſupplicii genus ipſis exprobrare videantur. Nunquam non inteſtina bella, inter Tribuum capita oriuntur, dum peculium quiſque ſuum repetit, detinetque alienum, quod commode quidem cedit orbi univerſo, verendum enim foret, ne tot tamque perditorum hominum conjuncta vis, aucta quotidie, in perniciem reliquarum gentium conſpiraret: quam ob cauſam prudentiores Phænacii & ferunt inter illos, & alunt lites. Non minima laus eſt etiam parvulis (quod olim Cęſar de veteribus Germanis) artificioſe furari, quos à tenerrimis, & pręceptis quæ vocant *Hermeticis* imbuunt, & exemplis: Caſſ. de Bello Gall. lib. 6.

emplis: Videbis infantulos etiã dum ab uberibus matrum pendent, aciculam subducere vel nummum, quod si hallucinati fuerint tantillum, & vel non satis audaci, vel sat lenta manu rem aggressi fuerint, ita ut ἐπ' αὐτοφώρῳ facile deprehendantur, vapulant illico: tandem ubi adoleverint, aut anatem, aut anserem, aut quid grandius indies oportet suffurentur, nec impune diem transigunt, in quo rem domesticam nihilo auxerint. Quod si satis constiterit operam abipsis navatam strenue, non æque successisse, aut glebam ex agro vicino, aut ramusculum surripiant necesse est, ne forte desuescendo fierent ineptiores: sed hæc in ipsis Phenacię finibus præcipue cernuntur, inter quos & Larcinos latissima vallis *Bugietta* se diffundit, de qua suo loco pluribus posteaquam Larcinos litorales ordine descripserimus.

CAP. III.

Litorales & Insulares Larcini.

Regio pyratarum.

HI, sive in litore Magellanico, sive in ripa & insulis Tryphonicis late

late sparsi, Amphibii sunt, eo ditiores reliquis, quo sunt reliquis occupatiores, quibus etiam non parum favent notissimi freti angustiæ. Cognitio enim semel propter præcipitem maris decursum nullam dari nautis retrocedendi viam, scaphis catenisque obstipant iter, & ita navim spoliant & vectores: ex quo factum putem, quod fretum istud regressum plane nullum patiatur, non tam undarum impetu, quam numero ac ferocitate pyratarum. Nemo nautarum Europęorum magis callet istis fluxuum tempestates, & situs opportunitatesque portuum, ventos, syrtes, scopulos, neque pisces ipsi, aut melius natant, aut facilius. Primas hic obtinet *Portus Dunius*, villa non sane magna, nec adeo munita, sed audax admodum, & omnium fere regionum spoliis ad miraculum usque dives: sita in ipso angula Larciniæ, quo terra hæc interventu Tryphonii fluminis, à Crapulia dirimitur. Hujus littus magnetibus ac pulvere magnetico stratum ferunt: quorum virtus navem ad se quamilbet remotiorem

allicit, retinetque: Sed neque minus proficiunt illi Duniozum, qui maria quæque pererrant, ac naves longe suis munitiores adoriuntur. Mirum est hercle, quoties istos vel post imparem sæpe congressum audacia victores reduxerit, quod tamen alii baptizatis, incantatisque vexillis Moronicis acceptum referre malunt. Insigne urbis vultur est, vel inter volandum pascens, cum verbo *Fruor nec quiesco*: statim à Tryphonis fluvii vestibulo, portus *Bercius* est; insularum istarum omnium & undarum dominus, nam à prætereuntibus quibusque etiam suis non minimum vectigal exigit, precium viæ, & hamis quibusdam majoribus magnete tinctis, non aliter navibus alienis, quam nos piscibus, insidiatur, tactasque semel impactis ad se uncis quantumvis contranitentes, ducit: In totidem paludinosissimis insulis, & tam lato flumine, vix domunculam cernes, aut cymbam, partim quod in mediis arundinetis (nempe crescunt hic arundines Indicis illis quas sæpe vidimus, altiores, nec minus ro-

Papa baptizabat vexillum Italorum & Hispanorum in Flandria, vocavitque *Margaretam*, quæ postea vicit *Diabolum*. Moresin de Orig. rel. Pap. Vt pyrate Aegyptii apud Heliodorum l. 1.

robustæ) nidum quisque sibi ac suis malit concinnare, partim quod ob proximitatem loci, gens ista cum Moronis plerunque misceatur, quorum sane nemo non natare mavult, quam navigare, unde fit, ut brachiorum remigia tam Dedale tractare norint, dimidiam ut vitæ partem (quod de Crocodilo dici solet) in aquis degant, motusque velocitate cum celerrimis quidem remis ausint contendere. Hi nautis formidabiliores sunt, quam nautici quivis pyratæ, improviso enim navim assequuntur, remoraque firmius adhærentes retinent, & vel retentæ dorsum perferant, ut aqua submergatur, vel impetu subvertunt, vel denique scopulis allidunt.

CAP. IV.

Quis mihi aditus, Harpyiæ.

SEd quis mihi huc aditus patuerit, aut quæ tandem commorandi licentia fuerit concessa, mirabitur Lector, nec credet, aut quenquam sane mentis committere semet ausum tã immani populo, aut incolumen de-

mum rediſſe. Intelligat ergo Lector communem iſtis cum Piis Moronis Jubilęum de more ſolenni anno quoque quinquageſimo celebrari, in quo cum omnibus orbis totius nationibus, ac populus induciæ pactæ ſunt; quo durante religio eſt furaciſſimo ganeoni, pacem vel publicam vel privatam violare: Iam tum convolant huc hoſpites; qui tamen quicquid ſecum attulerint, incolis gratis largiuntur, ut pacem hanc vel unius anni liberam, quadrienni lite lucroſiorem exiſtimem, incidi ego in ſacrum hunc annum peropportune: & cum quibuſdam aliis itineris noſtri ſociis regionem luſtravi: Inter eundum maximum nobis ab Harpyis imminebat periculum, quibuſcum profecto fœſtus pacis nullum nobis ferire licuit. Hæ (nec ſcio volucres ne dicerem, an dæmones) ex quo à Boreę filiis pulſæ fuerunt, hic (ut fama eſt) ſedem ſibi poſuerunt, Ex tranſverſis trabibus in medio quercus robuſtiſſimæ nidos ſibi ſternunt, Ore bubonem referunt, dorſo & corporis mole ſtruthiocamelum, pennis hyſtricem; roſtro ac un-

unguibus, aquilam: Recurrebat mihi in mentem istas cernenti quod de ἀνωνύμοις alitibus scripserat olim suppositirius Aristoteles, qui in Diomedea insula circulatim semper volitantes Græcis tantum adulabantur, alios omnes infestabant, pariter nobiscum ac peregrinis omnibus egerunt rapacissimæ Harpyiæ, incolas ipsos quasi probe cognitos familiariter exceperunt, semperque dimiserunt illæsos, in nos magno impetu involarunt; Quisquis per sylvæ istius *Butiniæ* deserta solus ambulat, harum unguibus rapitur illico, ac dilaniatur; Imo vix tutum ab his iter est decuriæ peregrinorum, absque conductitio Larcinorum præsidio.

Lib. de mirabilibus. Contra quam canis ille, cujus Epitaphium videre est in villa suburbana Bononiæ: *Latrai, à ladri, à gl'amanti tac[qui]*, &c.

Cap. V.

Vallis Bugietta, Phænacum mores. urbs Furtofranchecca: Bolsecium.

Terra Impostorum.

Recedo jam ad vallem *Bugiettam*, ultimam Larciniç metam; communem tamen vtrique provinciæ terram; suam cuique partim ex æquo

tribuit *Mnemon* fluvius per mediam planitiem decurrens, qui & oppidis Phęnacum pręsidiariis situm præbet commodissimum. Fallor nisi hic viderim Herodoti ac Plinii historici quędam, sed vix jam percipienda oculis monumenta; struxit sibi hic ædes profecto elegantes *Mercurius Gallo-Belgicus*, nec abhinc procul Cardinalis quidam historicus, amplissima jecit Castelli augustissimi fundamenta. Nam ex quo Hispanus vicinam huic Indiam occupavit, licuit etiam Iesuitis bona cum Phœnacum venia oras hasce (ut πολυπραγματικώτατοι sunt mortalium) invisere, & ab aliis relictam, propter creberrimos Larcinorum incursus, terram incolere: Astrologorum gymnasiola hic multa sunt, quibus hercle (poetas excipe, & Iuridicos) præ aliis omnibus favere solent Phænaces: Quin & in hac ipsa valle (nam quid dissimulem?) ego quidem conduxi domum, ubi præscius rerum hariolus audacter scripsi verissimum hujus temporis vaticinium. Longè humaniores sunt Larciniis Phænaces, aut saltem crudelitatem exercent

tent magis ſecretam: nam quod illi palam & ſub dio, hi ſine teſtibus agunt domi: Hi & legibus ſeſe, & *Aurei Principis* (nam ſic ſuum regem appellant) imperio ſubjiciunt *Furtofrancheca*, pars Bugiettæ proximior, ex omnibus Laverniæ partibus aut optima eſt, aut minime profecto mala, Hic interdiu quieſcunt, noctu vero ſemper negotiantur: ſolem ergo velut mortalibus noxium lumen abominantur, Lunam colunt ut cælicolarum omnium benigniſſimam. Arbores ſic ſua natura viſcidæ ſunt, ut volucrum quotquot ramulis inſident, illico adhæreant, prædæque ſint viatoribus: Maximum hujus provinciæ Emporium & longo frequentiſſimum *Bolſecium* dicitur, cujus tamen vici duo *Palatium*, & *Fripperia*, omnes quas vidi urbium plateas numero excedunt. *Palatium* quidem cauſidicorum litibus, *Fripperia* paratiorum nundinationibus deſtinatur. Et ſane cauſidicorum nulla ſub cœlo tam ferax regio eſt, qui (ut Plautinus ille) ſi nihil eſt litium, lites ſerunt: horum non minor hic numerus eſt, quam in VVeſt-

Vrbs crumeniſecarum.

Plaut. Pœnulo.

VVestmonasteriolo nostro capitum: quanquam vero indies creentur novi, fieri tamen non potest (ut illi putant qui in rebus politicis Lyncei sibi videntur: quin istorum numerus in posterum decrescat, nam ubi ligitando totam inter se provinciam (quod jam ferè fit) partiti fuerint, clientibus deinceps indigeant necesse est, quo fiet ut in se involent mutuo, & alter alteri commissus male parta dissipet in vulgus, futurisque alterius ævi nepotibus, locum exercendi huic arti magis lucrosum paret. Horum servis usitata semper est vestris δίχεροις, ut hinc innuant inservire se dominis ad utramvis causæ partem suscipiendam paratissimis: Lites istis suppeditat, & Fœneratorum copia, & *Ruzius* impetuosissimus fluviorum, qui dum præcipiti cursu inter insulas, Strophadas labitur, nunc magnam solutioris terræ partem ab una devoluit in alteram, tandem & in tertiam impellit, nunc vero priore sede fastidita novum sibi quærit canalem, avidissimis dominis nunc patrios fundos adimens,
nunc

nunc largiens novos, Incolarum plerique Alpinorum more ſtruma laborant, *Argyranchen* vocant medici, qui morbus ita vulgaris eſt, ut nemo locum affectum vel ſanarum velit, vel occultatum. Nec ſcio quæ ſecreta virtus iſtorum cuti indita ſit, ut non minus argentum attrahat ad ſe, quam magnes ferrum, nec minus attractum retineat. Fripperia omnibus & artificum generibus inſtruitur, & merçium officina tamen hic nulla, quiſque continuis clamoribus artem ſuam & merces exponit tranſeunti populo, & emptorem nactus ſecedit laudatam prius ſupellectilem oſtenſurus. * Hic cuprium producit torquem aureis laminis obductum, juratque, nec Tagum, nec Indorum fodinas, quid magis aureum protuliſſe: Alter teſticulum oſtendit muſcatum ſuaviſſimis odoribus plenum, alius uniones profert limpidiſſimos, quos quidem neque candore, nec lævore, nec magnitudine, nec orbe, nec pondere (in his enim Plinio dos omnis unionum) à veris ac nativis dignoſcere, conchaſque ipſas exhibet, in quibus ſolidio-

Morbus Demoſthenis: Latinis *argentangina.*

*Clavius lib 1. Chryſopoeiæ, &c.

res illæ guttæ pridem concreverint: Nec desunt è Scarpellinis, qui lapides propinent specie tenus ex omni genere preciosissimos, Adamantem Cyprium, Hephestitem Corinthium, Siculum Achatén, Niliacum Galactiten, Abeston Arabicum, Pæaniten Macedonium, Asiaticam Alabandinam, Beryllum Indicum, Gagaten Britannicum, Persicum Æëtiten, Chalcedonium Africanum, Smaragdum Scythicum, Corneolum Germanicum, Chrysolithum AEthiopicum, Carbunculum Libycum, sed pharmacopolarum profecto hic plus satis est, quorum fraus omnis, in mutandis miscendisque pyxidiculis, vix justo volumine posset comprehendi: Id vero unum adhuc neque satis mirari, illisque invidere: quod cum falsas fucatasque merces obtrudant omnes, nullo tamen id sensu possit deprehendi: nec quod examen istorum quis præter igneum reformidet. Dolus malus sicubi occurrat palam, satis quidē severe plectitur, id vero ne fiat cavet quisque sedulo, nam & faciem & vestem, & vocem, & artem mutat indies, ut frustra sit, qui hodie he-

hesternam queratur imposturã. Schola hic publica in suburbiis aperitur, non hercle incelebris, in qua sua ars, hoc est Spagyrica (ignoscant mihi Chymici, aut succenseant sibi, qui artis inhonestę nomen laudatissimæ indiderint) juventuti quotidie prælegitur: His scilicet Alcorani locum obtinet antiquissima Mercurii Historia, orbi nostro penitus ignota, quæ docet quam feliciter Cyllenius adhuc infans à Neptuno Tridentem, à Marte gladium, ab Apolline arcum pharetramque, à Vulcano forcipem, à Venere cingulum suffuratus sit: quamque fere καθάπερ ἐν τῇ γαςρὶ ἐκμελετήσας τὴν κλεπτικὴν, ab Iove fulmen surripuisset: ac deinde subdit omnigena defraudandi furandique documenta; tyronem plurimis docens excutere seram, pessulum reserare, lente movere pedem, arcæ jam clausæ filum viscosum immittere, intacta crumena nummum elicere, quod feceris strenue pejerare, nec interim erubescere, ac mille istiusmodi technas, quarum ego arcana Caballistica disquirere contempsi. Caupones ad unũ omnes ita male fidi sunt, ut

Lucian.

ut non auſint hoſpites, vel ſuis dormientium pulvillis aurum ſubmittere, vel ſacculis arciſve confidere quamlibet ſerratis: ſed (quod obſeſſos olim Iudæos feciſſe comperimus) in ſuis ipſorum ilibus dormituri recondunt craſtino mane repetendum: In villis vix quenquam videbis præter molitores, ſartores, & paucos fortaſſe vates Chiromanticos.

Ioſ. Bello Iudaico.

Cap. VI.

Plagiana Provincia.

PLagianus dein tractus ab Occidente cernitur ſpatioſiſſimus, in qua Rigattieræ urbi non novæ quidem, ſed renovatæ collis *Scapulius* imminet. Non pauca hic canæ antiquitatis monumenta reperiet ſolicitus quis Criticorum; præſertim vero poëtica: Ego certe ſaxum vidi verſibus inſcriptum Homericis, alienomen.

A Stephano Lexicon ſuũ furatus Scapula accanit: Aſt ego contendo Lexicon eſſe alienomen.

Homer. immutat hoc Orphei carmen ut Iuſtinus Martyr in Protreptico ad Gentes. Hom. ὡς οὐκ αἰνότερον ϗ κύντερον ἄλλο γυναικός. De interitu Dionisii. Hæc inter Homeri furta numerat Theod. Canterus var. lect. P. 2. c. 3 njuſte imitatur Homerus Orph. & Muſæum non ſpoliat.

no tamen authori (quod indignius nihil videbatur) adſcriptis; Inter hæc:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Δημήτερος ἀγλαοκάρπου.
& ſtatim: Ορφ.
ὡς οὐ κύντερον ἐστὶ ῥίγιον ἄλλο γυναικός Ορφ.
ὡς ἀνδρῶν γενεὴ ἡ μὲν φύει ἡ δ' ἀπολήγει
Μούσαιος.
Οἷον δὲ τρέφει ὄρνος ἀνὴρ ἐριθηλὲς ἐλαίης. (Ορφ).
Χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ. &c. Hom. Il. ρ.

Maronis autem plurimos inveni verſiculos pari modo Homero ac Heſiodo ſuppoſitos: & neſcio quot paginas vernaculi cujuſdam poëtæ Toſcano Petrarchæ adſcitos: Hanc dein ab Auſtro, excipit Arrebatia, deformata planities, & ruderibus plena: ibi olim fuiſſe Trojam, diruta ſaxorum mole docens: quæ ideo ferunt avos ipſorum demolitos, ut ex multis urbeculis (quarum veſtigia pyramideſque remanent) urbes duas pol magnificas, Patronillam, & Hieroſulen ædificarent; ubi ergo quondam Templa, plateæque, jam campos videas, & ſtabula; nec ipſi quidem fundo parcit Ruzii violentus æſtus, ſed iniquis undis avellens, aut Plaginis impertit, aut Codicienſibus.

CAP.

CAP. VII.

Codicia.

Terra avaritiæ. COdicienſem provinciam prodigioſi homines incolunt, quos porcina facie *Munſterus*, ac *Mandevillanus* depinxerunt. Quadrupedum more prona ſemper facie incedunt, ne quid inter eundum ſurreptione dignum prætermittant, neque cælum unquam ſuſpiciunt: quod ad vocem, grunniunt illi quidem, non loquuntur, Nemini hic præterquam ſenibus commorandi locus eſt, Florem ætatis cuique, vel *ſylva Butynia* (ſi fortiore animo ſit) vel ſi ſtudioſo, *Gymnaſium Bolſecianum* deterit: Soli hic Metallurgi, Agricolæ, Mercatores: Hi fere ſemper (quod de lupo dicitur pugnaturo, ac vulpe famelica) terra veſcuntur: quanquam ſunt inter hos, qui ſolo metalli intuitu vivunt, valentque: Nunquam pene dormiunt, illud unum iſtis leoninum eſt.

Χρύσι© θεός. Superſtitioſe admodum numini ſuo, hoc eſt, Chryſio deo addicuntur: nec unquam aut quieſcunt, aut diſcumbunt, donec ipſum viderint, & a-

& adorarint: Vrbes hic vidi *Scrofolam*, villam ſane fœdam, & Catonis verbo, *cloacalem*, *Coglieram*, *Serraram*, *Caxam*, quam tamen luſtrare volenti mihi non licuit, unuſquiſque civium clavem ſecum geſtat, ne quis peregrinus ingrederetur: Reliqui omnes per villas *Porciglias* diſperſi, non tam caſis, quam cubilibus contenti ſunt. Feſtus.

Hos ego homines, hos mores, has urbes vidi, ſtupui, riſi, annoque demum triceſimo, itineris tanti laboribus fractus in patriam redii.

PEREGRINUS
quondam Academicus.

INDEX

INDEX
LIBER I.

LIB. I. Pars secunda.

III. Zouf.

LIB. II.

LIB.

LIB. III.

LIB. IV.

FINIS.

NOMINVM PROPRIORVM.



Cor-

D

Faeſ-

G

Iodia

Liſo

M.

N.

O.

P.

Pia-

Scar-

T

V

FINIS.

F. THOMÆ

CAMPANELLÆ CIVITAS SOLIS POETICA.

IDEA

Reipublicæ Philoſophicæ.



VLTRAIECTI,
Apud *Ioannem à VVaesberge*,
Anno cIɔ Iɔ c XLIII.

CIVITAS SOLIS
VEL
DIALOGVS POETICVS,
INTERLOCVTORES.

Hospitalarius Magnus, & Nautarum guernator Genuensis Hospes.

HOSP.

EIA quæso, memora tandem quæcunque tibi hac in navigatione contigerunt. GEN. Narravi jam quo pacto totius orbis Terrarum peragraverim gyrum: ac demum in Taprobanam pervenerim: coactusque fuerim in Terram descendere, ubi incolarum metu sylvam adierim: ex qua tandem egressus in planitiem magnam prorsus sub æquatore constiterim. HOSP. Hic quid tibi accidit? GEN. Ex templo in agmen frequens virorum, ac mulierum armatarum incidi: quorum multi nostrum callebant idioma: simul atque in Solis Civitatem me conduxerunt. HOSP. Dic, qua ratione isthæc Civitas fabrefacta est, qua-

Defensio hujus dialogi est in Politicis Authoris q. q. quarta quæstio ubi ostẽditur esse Catechismũ Gentiliũ ad politiam & fidem Christianam pure Apostolicam.

Figura & exstructio Civitatis.

que gubernetur? GEN. Attollitur ex amplissima planitie collis ingens, super quo major pars Civitatis fundata est: At multiplices illius ambitus exponuntur ad multum spatium extra montis radices. qui ea constat magnitudine, qua Civitatis diameter duo, & plus milliaria continet, ut circuitus sit septem. At ex gibbositate plura capit, quam si in planitie foret. Distincta est in septem gyros ambitusve ingentes, à septem planetis nominatos, & ab altero in alterum per quatuor strata viarum intratur, perque portas quatuor ad mundi angulos quatuor spectantes. Et profecto sic ædificata est, ut si quis primum expugnaret gyrum, necesse habet duplicato labore expugnare secundum; & majori tertium, ac semper geminare vires, laboresque. Quapropter septies expugnanda est volenti eam subjugare. Ego tamen judico nec primum posse occupari ambitum, ita crassus est, terra plenus, munitus propugnaculis, turribus, bombardis, & fossis.

Ingressus igitur per portam Aquilonarem (quæ ferro operta est, sic fabre-

fabrefacta, ut possit elevari ac demitti, & facile, & fortiter obserari, processibus suis in postium robustorum sinubus decurrentibus mirifico artificio) intercapedinem planam vidi 70. passuum inter prima ac secunda mœnia. De hinc visuntur Palatia ingentia muro secundi gyri copulata omnia, ut unum esse omnia dicere queas. Porriguntur ex media altitudine palatiorum fornices continuati per gyrum totum, super quibus sunt deambulatoria, & substentantur columnis ab imo crassis, formosisque, subporticus quasi sepientibus, sicuti peristilia, sive Claustra Monachorum. Inferne autem introitus non habent, nisi ab interiori pariete in sui parte concava, & intratur in ædes inferiores plane: in superiores vero per scalas marmoreas ad interiora consimilia deambulatoria, & ex illis ad superiores ædes, quæ formosæ sunt, & fenestras habent ad concavum, & convexum parietem; & gracilibus distinguuntur parietibus. Quippe murus cõvexus, id est, exterior crassitiem habet palmorum octo: con-

cavus vero trium : intermedii unius, & forte cum dimidio. De hinc pervenitur ad ſecundam planitiem anguſtiorem prima paſſibus fere tribus. Atque ſecundi ambitus primus conſpicitur murus , conſimilibus ornatus deambulatoriis ſuperne , & inferne , & ab interiori parte alius eſt murus interior palatia intercludens , ſecunda mæniana & periſtilia habet conſimilia , columnis ſuffulta inferne : ſuperne vero picturas egregias , ubi ſunt ædium inavæ ſuperiorum. Itaque deinde per conſimiles ambitus & muros duplices intercludentes palatia, ornatos deambulatoriis, porrectis exterius , fultis columnis, itur uſque ad ſupremum : ac continuo per planum æquale : Attamen quando per portas tranſitur , quæ duplices ſunt , hoc eſt exterioris interioriſque muri , ſcanditur per gradus ſed ita formatos , quod vix diſcernitur aſcenſio : quoniam oblique inceditur : & quaſi inviſibilibus diſtinctæ ſunt ſcalæ elationibus. In montis cacumine Area eſt plana bene ſpatioſa ; & in medio ejus templum adſurgit mirifico conſtructum

arti-

artificio. HOSP. Perge nunc; perge, dic, oro per vitam. GEN. Templum absolutæ rotunditatis forma decoratur; non circundatur muris, sed super columnis heret crassis pulchre concinnatis. Testudo maxima, mira arte extructa in centro, vel polo sui, testudinem editiorem habet parvam, & in hac spiraculum, quod Altari imminet: quod unicum est, ac in centro Templi, columnis circumseptum: Templum vero excedit 350. passus. Capitellis forinsecus columnarum innituntur fornices porrecti quasi octo passus extrorsum: unde aliæ columnæ ipsos sustinentes, attolluntur: inhærentes crasso muro fortique erecto passibus tribus: inter quem ac priores columnas deambulatoria sunt inferiora, pavimentis constrata pulchris: & in muri concavo crebris distincti portis amplissimis, sedilia sunt immobilia, tametsi inter columnas interiores templum substentantes, non desint sellæ portatiles plurimæ decoræque. Super Altare nihil conspicitur nisi globus magnus, in quo totum depictum est Cœlum, & alter

Templi structura in cacumine.

globus in quo depicta eſt Tellus. Porro in Cœlo teſtudinis magnæ omnes Cœli ſtellæ à prima uſque ad ſextam magnitudinem depictæ cernuntur, propriis notatæ nominibus, ac virtutibus, quas terreſtribus influunt rebus, in tribus quęque verſiculis. Adſunt poli, & circuli majores minoreſque juxta rectum horizontem ipſorum in templo adnotati, ſed non perfecti, quoniam deficit murus inferne. At videntur perfici in relatione ipſorum ad globos, qui ſunt in altari. Pavimentum pretioſis lapidibus collucet. Lampades aureæ ſeptem continuo igne accenſæ pendent, ſeptem planetarum nomina gerentes. Super templo circumdant teſtudinem parvam *cellæ* quædam pulchræ ac parvæ, & poſt planam intercapedinem ſuper clauſtris ſeu fornicibus internarum, & externarum columnarũ multæ ſunt cellæ, ac grandes, decoręque, ubi Sacerdotes, & Religioſi habitant quaſi quadraginta novem. Super minorem teſtudinem quaſi vexillum volubile omnino eminet oſtentans ventos: quos ſignant uſque ad 36. Ac

Moſes juxta univerſi exemplar, conſimile deſcribit Templum & Lampades.

Ac norunt qualem ferant annum venti ſinguli, & quales in Mari ac Terra mutationes, ſed non niſi ſui Climatis. Ibidem ſub vexillo codex adſervatur literis inſcriptus aureis. HOSP. Rogo te generoſe Heros, ediſſere mihi totam regiminis ipſorum rationem. Huc enim te prȩſtolabar. GEN. Princeps magnus inter eos eſt ſacerdos quem vocant ſuo idiomate HOH: noſtrò autem diceremus Metaphyſicum. Hic eſt omnium Caput in temporalibus ac ſpiritualibus, omniaque negotia ac cauſæ in ipſius judicio poſtremum terminantur. Tres illi aſſiſtunt Principes collaterales, Pon, Sin, & Mor, quod noſtra lingua ſonat Poteſtas, Sapientia, & Amor. Poteſtati curæ ſunt negotia belli ac pacis; artes militares, eſtque ſupremus in re bellica, at non ſuper O. Ipſe regit magiſtratus militares, milites, curam munitionum gerit, fortificationum, & expugnationum, & machinarum bellicarum, & fabricarum, & artificum hujuſmodi res tractantium. Idea regiminis. Cura poteſtatis trium viri.

Sapientiæ vero curæ ſubjacent artes liberales & mechanicæ, & ſcien-

Cura Sapientiæ trium viri.

tiæ omnes, & magiſtratus illorum & doctores, & diſciplinarum ſcholæ. Sibique ſubjacent tot magiſtratus quot ſcientiæ. Eſt Magiſtratus qui vocatur Aſtrologus, item & Coſmographus, Arithmeticus, Geometra, Hiſtoriographus, Poeta, Logicus, Rhetor, Grammaticus, Medicus, Phyſiologus, Politicus, Moralis, unumque modo volumen habent, quod vocant ſapientiam, in quo omnes ſunt Scientiæ compendio ac facilitate mira conſcriptæ. Hunc legunt ad populum juxta ritum Pythagoreorum. Hic Sapientia, totius Civitatis parietes internos, externoſque inferiores ac Superiores picturis præſtantiſſimis adornari fecit, omneſque ſcientias in eis deſignari mirifico ordine. In muris templi exterioribus, & in cortinis, quæ demittuntur cum Sacerdos concionatur, ne vox diſperſa prætervolet auditores, pictæ ſunt ſtellæ, ipſarumque magnitudines, virtutes & motus, tribus verſiculis notatæ ſingulæ.

Scientiarum faciles per picturam diſciplinæ.

In interiori muro primi ambitus conſpiciuntur depictæ omnes figuræ Mathematicæ longè plures quam Archi-

Archimedes, & Euclides invenerunt: & ad parietis proportionem grandes & decore ſignatæ cum brevi declaratione, verſiculo contenta in ſingulis : Sunt & definitiones & propoſitiones, &c. In exteriori convexo eſt primo deſcriptio integra per magna ſimul totius Terræ : hanc conſequuntur tabulæ peculiares cujuſlibet Provinciæ. Vbi & ritus, & leges, & mores, & origines, & vires incolarum brevi proſa comprehenduntur: & Alphabeta quibus utuntur Provinciæ omnes, viſuntur ſuper Alphabeto Civitatis Solis.

In interiori ſecundi gyri domiciliorum ſcilicet ſecundorum cernuntur omnia Lapidum genera pretioſorum & communium, & mineralium, metallorumque pictorum, at & verorum quoque fruſtula : cum declaratione appoſita ſingulis in duobus verſiculis. In exteriori omnia maria ſignata ſunt, & flumina, & lacus, & fontes, quæ ſunt in mundo: & vina, olea : & liquores cuncti : ipſorumque origines, qualitates, & virtutes: Adſuntque ampullæ ſuper fornicibus muro confabricatę, diverſis

 plenæ

plenæ liquoribus à centum & trecentis annis, quibus varias curant infirmitates: Sunt & grandines, & nives, & tonitrua, & quæcunque in aëre fiunt suis expressę figuris, versiculisque. habent artem etiam faciendi intra cubiculum omnia Meteorologica. i. ventos, pluvias, tonitrua, iridem, &c.

In interiori tertii gyri sunt omnes arborum & herbarum species depictę. aliquæ autem sunt in testis vivę super fornicum sunt, exteriori pariete. Cum declarationibus, ubi primo inventa sunt: quæ sint ipsarum vires, & qualitates, & similitudines ipsarum cum rebus cœlestibus, & metallis, & cum partibus corporis humani, & cum rebus marinis, & ipsarum usus in medicina, &c In exteriori omnia piscium genera fluviorum, lacuum, & marium, ipsorumque mores, & virtutes, generationis ratio, vitę, educationis, & usus, quem habent ad mundum: & ad nos, ipsorum quoque similitudines cum rebus cœlestibus & terrestribus à natura & ab Arte productis, ita quod obstupui cum viderem piscem, Episcopum

copum, & Catenam, & Loricam, & Clavum, & Stellam, & verpam, & simulacra istarum rerum apud nos existentium, omnino referentes. Visuntur echini, conchilia, spondili, &c. Et quidquid scitu dignum mundus aqueus habet, mirabili pictura ac Scriptura ibi patet.

In quarto interiori Avium genera omnia depicta visuntur, ipsorumque qualitates, magnitudines, mores, colores, vita, &c. ac phœnix verissima illis habetur. In exteriori omnia reptilium animalium genera patent, Serpētes, Dracones, Vermes, & insecta, & muscæ, culices, tafani, scarabei, &c. Cum ipsorum conditionibus, virtutibus, venenis, & usibus &c. Ac longe plura sunt quam nos existimare possimus.

In quinto interiori habentur animalia perfecta terrestria, tot generum, ut obstupescas. Nec nos millesimam novimus partem: & cum sint plurima & ingentis magnitudinis in exteriori quoque depicta sunt gyri ambitu. hem! quot Equorum genera modo? pape, quæ figurarum pulchritudo, docte declaretur.

In

In ſexto interiori depictæ ſunt omnes mechanicæ artes, ipſarumque inſtrumenta, & quibus modis apud diverſas nationes tractantur, & juxta dignitatem ſuam locatæ, ac declaratæ apparent: & ſimul inventores ipſarum. In exteriori verò ſunt depicti omnes inventores ſcientiarum, & armorum, & legumlatores, ubi vidi Moyſem, Oſirim, Iovem, Mercuriū, Lycurgum, Pompilium, Pythagoram, Zamolhim, Solonem, Charondam, Phoronæum, alioſque plurimos, quin & Mahometum depictum habent; quem tamen ut fabuloſum, ac ſordidum legiſlatorem oderunt. At in loco digniſſimo IESV CHRISTI vidi effigiem, ac duodecim Apoſtolorum quos digniſſimos reputant, magnique faciunt: ut ſupra homines. vidi Cæſarem, Alexandrum, Pyrrhum, & Annibalem, alioſque bello & pace præclaros heroas, præcipue Romanos in inferioribus ſub porticibus depictos. Cumque admirando quærerem, unde ipſi noſtrorum noſſent hiſtoriam, indicarunt, apud ſe omnium linguarum peritiam extare; ac de induſtria per orbem

orbem totum continuo ſeſe mittere Exploratores & Legatos: qui mores & vires, & regimen, & hiſtorias nationum perdiſcerent, bona ac mala cunctarum, ac deinde ad Rempub. ſuam referrent, & in hac valde oblectantur. Vidi apud Chinenſes inventas eſſe bombardas, & Typographiam, antequam apud nos. Sunt magiſtri harum picturarum declaratores, & pueri ſine labore quaſi ludendo addiſcere conſueverunt ſcientias omnes, Hiſtorico tamen modo ante primum decennium.

Cura Amoris triumviri.

Amor generationis primum curam gerit, ut ita copulentur maſculi fœminis, quod optimam edant prolem. Ac irrident nos, qui generationi canum & equorum ſtudioſam navamus curam, humanam verò negligimus. Item ipſius regimini ſubeſt educatio natorum, Medicina Pharmacopolæ, ſatio, & collectio frugum, & fructuum, agricultura, paſtoralis, menſarum apparatus, coquinaria: & quidquid pertinet ad victum, & veſtitum, & coitum venereum, multoſque magiſtros ac magiſtras his artibus dedicatos, ipſe regit.

Meta-

Metaphysicus autem hæc omnia cum his tribus tractat principibus: absque ipso enim factum est nihil; omniaque negotia Reipublicę inter quatuor hosce pertractantur; & quo inclinat Metaphysicus, concurrunt pari consensu omnes.

HOSP. At hic sodes; magistratus, officia, functiones, educationem, genus vivendi, utrum sit Respubl. an Monarchia, an Aristocratia.

Origo & necess. Reipub. optimæ.

GEN. Hoc genus hominum ab India illuc convenit, effugientes à clade Magorum Regionem depopulantium, & Prædonum & Tyrannorum, statueruntque Philosophicam vitam ducere in communitate; licet Mulierum communitas non sit instituta inter cæteros ipsorum provinciæ accolas, apud ipsos in usu est: hac ratione. Omnia illis communia sunt. Ac dispensatio in Magistratuum est ditione. Scientias tamen honores & delitias communes ita habent, ut nemo sibi quidpiam appropriare queat.

Ajunt omnem proprietatem eo fieri ac foveri, quod propria domicilia seorsim singuli habemus, & liberos, & ux-

& uxores proprias. Ex quo oritur proprius amor: namque ut filium ad divitias, & dignitates ſublimemus, & hæredem bonorum multorum relinquamus, evadimus quiſque aut rapax publicæ rei, ſi quis timorem ex divitiarum & generis potentia excuſſit: aut avarus, & inſidioſus, & hypocrita, ſi tenuis eſt viribus, opulentia, & genere. At cum propriũ amorem amiſerimus, remanet tantummodo amor communitatis. HOSP. Ergo nemo laborare volet, dum ut alii laborent, unde ipſe vivat, expectat ſicuti Ariſt. arguit in hoc Platonem. GEN. Ego diſputationi inſervire non novi. Verumtamen dico tibi, eos tanto patrię amore flagrare, quãtus vix credi poteſt; & tanto quidem magis quam de Romanis, ultro pro patria occumbẽtibus, narrant hiſtoriæ, quãto proprietatem hi abjecerunt magis. Credo equidem & fratres, & Monachos, & Clericos noſtrates, niſi conſanguineorum & amicorum amore, aut ad dignitates majores aſcendendi ambitione labefactarentur, longè ſanctiores fuiſſe futuros, & minus proprietatis amãtes: & plus charitatis

Vide q. 1 hujus pol. libri pro hac Rep. cõtra Ariſt.

redo-

redolentes erga omnes, sicut erant tempore Apostolorum, & nunc plerique.

HOSP. Hoc videtur dicere S. Augustinus at inquam ergo inter hoc genus hominum amicitia nil valet, qui non habent unde mutua beneficia sibi conferant.

GEN. Imo maxime. Nam operæpretium est videre munera nulla quidem alterum ab altero accipere posse; quidquid enim necesse habent, à communitate accipiunt, Ac bene cavent Magistratus, ne quis plusquam mereatur accipiat: at nihil necessarium denegatur ulli: Amicitia vero dignoscitur inter eos in bello in infirmitate, in scientiarum comparatione, ubi mutuis auxiliis ac doctrina sese juvant: interdum laudibus, verbis, functionibus & de suo necessario se mutuo colunt: omnes contemporanei se vocant invicem fratres: qui autem viginti duos annos plures habent, vocantur ab eisdem partes, qui pauciores 22. filios: Porro & magistratus bene intēdunt, ne quis alter alteri in confraternitate injuriam inferat.

De accusationibus.

HOSP.

HOSP. Ecquomodo. GEN. Quotquot apud nos ſunt virtutum nomina, apud illos ſunt magiſtratus, eſt enim qui vocatur Magnanimitas, qui Fortitudo & Caſtitas, & Liberalitas, Iuſtitia criminalis, & civilis, & Solertia, & Veritas, Beneficentia, Gratitudo, Hilaritas, Exercitium, Sobrietas, &c. ad ejuſmodi munera eliguntur quiſque ad illud, ad cujus virtutem magis à pueritia in ſcholis præ noſcitur aptiſſimus. Quapropter cum inter eos nequeant latrocinia inveniri, nec cædes inſidioſæ, nec ſtupra, inceſta, adulteria, aliaque facinora, in quibus nos invicem accuſamus, ipſi ſe accuſant ingratitudinis, malignitatis, quando quis honeſtam negat alteri ſatisfactionem, & pigritiæ, & triſtitię, & iracundię, & ſcurrilitatis & detractationis & mendacii, quod magis atque peſtem abominantur. Ac rei in pœnam privantur communi menſa, aut mulierum commercio, aliiſque honoribus, donec, & quando videtur judici ipſorum congruere correctioni.

HOSP. Dic rationem qua Magiſtratus eliguntur. *De veſte & educatione parentũ & electione.*

GEN.

GEN. Hoc non rite intelliges, nisi prius ipsorum vitam addiscas, Primo quidam ut scias masculi, & fœminæ, idem fere vestimenti genus induunt, bello aptum, licet mulieres toga sub genu; viri autem super genu utuntur. Ac mistim omnes in omnibus educantur artibus: transacto primo, & ante triennio pueri linguam addiscunt & Alphabetum in parietibus circumambulando, quorum sunt agmina quatuor, & senes quatuor, duces eorum, doctoresque supra omnes probatissimi.

Post paululum gymnastica, cursu, disco, & cæteris exercent eos, ludisque, quibus omnia membra roborẽtur æque: semper tamen nudos pedes, ac caput usque ad septimũ annũ. Conducunt simul illos ad officinas artium, Sutoriæ, coquinariæ, ferrariç, lignariæ, picturæ, &c.

Vt ingenii propensionem cujusque perpendant, post septimum annum prælibatis terminis Mathema-

maticis in parietibus, conferuntur ad lectionem omnium ſcientiarum naturalium; Quatuor ſunt lectores ejuſdem lectionis, & in quatuor horis, omnia quatuor exinde expediuntur.

Namque alii exercent corpus, aut publicis ſerviunt uſibus functionibuſque, alii lectioni operam navant.

De hinc abſtruſioribus, Mathematicis, Medicinæ aliiſque dedicantur omnes ſcientiis, & continua inter eos eſt diſputatio, & altercatio ſtudioſa. illique poſtea Magiſtratus fiunt illarum ſcientiarum in quibus proficiunt magis, aut artium mechanicarum, ſequuntur enim quiſque Ducem ac judicem ſuum; & in campos egrediuntur ad opera agrorum, & beſtiarum paſturas inſpiciendum, diſcendumque, & illum reputant nobiliorem ac præſtantiorem, qui plures dedicerit artes, ac ſapientius exercere novit. Quapropter irrident nos in eo, quod artifices vocamus ignobiles, ac eos habeamus nobiles

biles,qui nullam addiſcunt artem,vivunt ocioſe : & tot ſervos ſuo ocio & laſciviæ dedicatos detinent: unde ſicut ex vitiorum ſchola prodeunt in Reip. perniciem tot nebulones, ac malefici: cæteri vero officiales eliguntur ab illis quatuor Primatibus O, Pon, Sin, Mor. & à Præceptoribus illius artis, cui perficiendi ſunt. Qui probe norunt quis aptiſſimus ſit arti, aut virtuti,in qua Rector præficiendus eſt. Et in Concilio quidem proponuntur à Magiſtratibus nil ipſi more candidatorum petentes & opponit, quicunque ſcit aliquid contra eligendos aut pro eis. Attamen nemo O dignitatem conſcendit, niſi qui omnes gentium norit hiſtorias, & ritus,& ſacrificia, & leges, & Reſpubl & Monarchias: & inventores legum, & artium, & rationes, & hiſtorias,cœli & Telluris. Item neceſſe habent noſſe omnes artes mechanicas (nam biduo fere unam addiſcunt, licet non bene operari, ſed uſus & pictura eis facilitatem ad hoc præbet.) Item & ſcientias Phyſicas, Mathematicas,& Aſtrologicás. Non tanta linguarum cura eſt notitiæ, quo-

Electio O.

quoniam interpretes habent plures qui ſunt in Republ. Grammatici. Sed præ cęteris oportet callere Metaphyſicam: & Theologiam: pernoſſe radices, & fundamenta, & probationes omnium artium & ſcientiarum: ſimilitudines ac differentias rerum, Neceſſitatem, Fatum, & Harmoniam mundi: Potentiam, Sapientiam, & Amorem rerum & Dei: gradus entium: ipſorumque ſymbola, cum cœleſtibus, terreſtribus & marinis rebus: & cum idæalibus in Deo, quantum ſcire mortalibus licet, ſtuduiſſe quoque in Prophetis, & in Aſtrologia oportet. Ergo norunt longe ante quis futurus ſit O. Et vero niſi 35. annum attigerit, ad tantam non erigitur dignitatem. Hoc munus perpetuum eſt, quouſque non invenitur qui ſapientor ſit illo, aptiorque ad regendum. HOSP. Ecquis tantum ſapere poteſt? quin ſcientiis operam navans, regimini ineptus eſſe videtur. GEN. Hoc ipſum & ego illis oppoſui: Qui reſponderunt. Certiores profecto nos ſumus, tam literatiſſimo viro ſapientiam ineſſe regnandi, quam vos qui viros

Num ſapientes ſint apti Regno.

viros præficitis ignorantes; propterea idoneos reputatos. quod ex Principibus nati sunt: aut à factione prępotente electi. At ☉ noster, licet imperitissimus regiminis, non tamen crudelis unquam erit, nec scelestus, nec Tyrannus, quippe qui tantum sapit: veruntamen hoc insuper vos non lateat idem argumentum apud vos posse, ubi putatis doctissimum esse, qui plus Grammaticæ, aut Logicæ, Aristotelicæ, aut alterius authoris novit: cujusmodi ad sapientiam vestram requiritur tantum servilis memoria & labor, unde efficitur homo iners, quoniam non contemplatur res, sed verba librorum, & in mortuis signis rerum animam vilem reddit. Nec proinde intelligit qua ratione Deus entia regat. Nec naturæ mores & usus, neque Nationum. Quod nostro ☉ contingere nequit. Non quidem enim tot artes ac Scientias perdiscere potest, qui solertissimo non pollet ingenio ad omnia aptissimo. Igitur & ad regnandum maxime. Nos quoque non latet, qui unam modo profitetur scientiam, illam non vere scire,

nec

nec alias. & qui aptus est uni modo Scientiæ, ex libris haustæ, rudem atque inertum esse ; Ast id non contingit ingeniis promptis expertisque in omni scientiarum genere, & ad considerandas res natura idoneis : veluti necesse est nostrum esse ☉ Præterea & in Civitate nostra ea facilitate addiscuntur scientiæ (ut vides) qua plus proficiunt discipli hic in anno uno, quam apud vos in decem aut quindecim. Fac, quæso, periculum in his pueris. Qua in re ipse vehementer obstupui propter sermonem veridicum ipsorum, & propter experimentum illorum puerorum, qui & meam linguam bene ne callebant. Siquidem tres ex eis oportet esse peritos nostræ linguæ, & tres Arabicæ, & tres Polonæ : & tres aliarum singularum, & nullum ocium eis datur, nisi quo etiam Doctiores fiunt. Nam & ideo in Campestria egrediuntur, gratia scilicet cursitandi, sagittas & lanceas jaculandi, archibugiis reboandi : feras persequendi : herbas agnoscendi & Lapides, &c. Agriculturam, & pastoralem discendi, modo agmen u-

B num,

num, modo aliud.

Tres quidem Principes ☉ assistentes, non necesse habent scire, nisi artes ad suum pertinentes regimen, itaque norunt historice tantum artes communes omnibus: proprias vero exquisite, quibus nimirum alius alio dedicatur magis. Ita Potestas eruditissimus est in arte equestri, in ordinando Exercitu: in Castrametatione: in fabrica armorum omnis generis, & machinarum bellicarum, & stratagematum: & in tota militari Re. &c. Sed propter hæc, hujusmodi Principes necesse habent fuisse Philosophos, Historicos, Politicos, & Physicos. Idem dic de aliis duobus Triumviris.

HOSP. Equidem publica munera omnia dicas velim, ac distinguas: & educationem communem luculentius narres.

Communitas vitæ & artium & distributio fœminis & maribus.

GEN. Ædes communes sint illis, & dormitoria, & grabata, aliaque necessaria. At post quoscunque menses sex, secernuntur à Magistris, qui dormituri sunt in hoc circo, quique in alio, & qui in primo cubiculo, & qui in secundo: quod per Alphabetum

tum notatum habent in superliminio. Sunt & artes communes mechanicæ & speculativæ masculis & fœminis, hac cum discretione: quod artes operosæ magis, & ubi iter requiritur, tractantur ab masculis, sicuti arare, seminare, fructus legere, in area laborare, forte & in vindemia. At ad mulgendas oves, & caseum formandum solent & Mulieres destinari; Itidem & ad hortos prope Civitatis pomerium ad colligendas herbas, & excolendas similiter vadunt. Artes vero quæ sedendo, & stando tractantur ad mulieres spectant, veluti texere, nere, suere, tondere capillos, & barbas pharmacopia & omnia vestimentorum genera conficere: Excluduntur tamen ab arte lignaria, & fabrica armorum. At si quæ picturæ est idonea, non prohibetur. Musica tamen solis est data mulieribus, quia delectant magis, quin & pueris: non tamen buccinarum & tympanorum usus. Item epulas parant, & mensas sternunt: Sed mensis ministrare proprium est puerorum munus & puellarum usque ad 20. annum. sunt in quolibet

circo, propriæ culinæ, horrea, & promptuaria utensilium, esculentorum & poculentorum, & cuilibet functioni præest senex compositus, & anus altera, qui simul imperant ministris, ac potestatem habent verberandi, vel jubere ut verberentur negligentes, & inobedientes, ac perpendunt notantque singulos, & singulas, quibus in ministeriis præstent magis. Vniversa juventus servit senioribus prætergressis 40. annum, sed magister & magistra curant vesperi cum eunt dormitum, & mane mittendos ad ministerium eos, quibus ex ordine incumbit, unum vel duos in singula cubicula. Iuvenes vero mutuo sibi ipsis ministrant: væh autem recusantibus. habent primas & secundas mensas, utrinque sunt sedilia: hinc recumbunt mulieres, inde viri, & veluti in refectoriis Monachorum strepitus fit nullus: & dum comedunt legit è suggestu juvenis canendo distincte, ac sonore in codice; ac sæpe Magistratus interloquuntur sub aliquo lectionis loco notabiliori. Et quidem suave est cernere, quo pacto illis ministret tam pul-

De refectione.

pulcra juventus in veste succincta, tam opportune: ac simul juxta invicem tot amicos videre, fratres, filios, patres, & matres, vivere tantâ honestate, decore, & charitate: cuilibet sua mappa datur, patina, obsoniũ, & ferculum. Medicorum cura est edicere coquis, quo die quæ dapes parandæ sunt: & quę senibus, & quæ juvenibus: & quę ęgrotis. Magistratus portionem accipiunt grandiusculã, & pinguiorem: hi de portione sua semper aliquid distribuunt pueris in mensa, qui mane se studiosiores ostenderunt in lectionibus & in disputationibus de Sapientia, & armis. Hoc autem inter præclarissimos honores reputatur. In festis vero diebus musice cani etiam in mensa volunt, sed paucis, vel una voce in cythara, &c. & quum omnes pariter ministerio manus porrigant, nunquam aliquid deficere invenitur. Seniores compositi præsunt rei coquinariæ, & ministris refectoriorum, & magnifaciunt munditiam in stratis, ædibus, vasibus, vestibus, & Officinis, & porticibus.

Alba interula utuntur ad Carnes: cui

De vestimentis.

cui adhæret vestis, quæ simul thorax ac caligæ est, absque crispis, fissa à summis lateribus usque ad imum crurum, & similiter ab umbilico ad nates inter coxendices: & globulis hinc porrectis, exceptis vinculis illinc, obserantur fixurarum oræ: cruralia caligis continuata ad talos usque descendunt: mox udonibus pedes vestiunt grandibus quasi semicothurnis, fibulis adstrictis: quibus calceos superponunt, ac tandem toga, ut diximus amiciuntur: & ita aptæ concinnatæ sunt vestes, quod quando toga spoliantur, discernuntur partes effigiei totius distinctæ prorsus, & nihil fallentes. Mutant vestes quater in anno varias, hoc est cum Sol ingreditur Arietem & Cancrum, & Libram, & Capricornum; & juxta conditionem ac necessitatem in Medici arbitrio est, ac vestiarii singulorum gyrorum eas distribuere. & mirum est quod eodem in tempore quot opus sunt vestes simul habent, rudes, & graciles, pro tempore. Albatis utuntur omnes: & lavantur singulis mensibus lixivio, vel sapone, &c. inferiores omnes sunt officinæ artium

& cu-

& culinæ, & cellariæ, & horrea, promptuaria, armamentaria, refectoria, & lavacra. Quamvis ad pilas peristiliorum laventur, & aqua dejicitur per canales, in cloacas deferentes. In qualibet Platea singulorum circorum sunt proprii fontes, qui per canales jaculantur aquas attractas ab imo fere montis sola agitatione artificiosi manubrii: sunt aquæ fontales, & in cisternis, quo pluviales per aquæ ductus arenosos ex tegulis domiciliorũ collectę perferuntur; lavant & corpora sæpe sua, prout Medicus ac Magister jubent. Artes mechanicę exercentur omnes sub peristiliis. Speculativæ vero superne in deambulatoriis & mœnianis, ubi sunt picturæ nobiliores, & in templo leguntur diviniores. At in Atriis & pinnis gyrorum sunt horologia solaria, & companularum & pendones, quibus horæ & venti dignoscantur.

HOSP. Dic de generatione.

GEN. Nulla fæmina Mari supponitur, nisi decimum nonum attigerit annum. Nec mas generationi dedicatur nisi vigesimũ primũ attigerit, & ultra

De generatione, & educatione parentũ.

ultra. si niveæ est complexionis. Ante hoc tempus licet quibusdam concubitu mulierum uti, sed sterilium aut prægnantium; ne illicitum vas expetere cogantur. Ac Matronæ Magistræ, & seniores Magistri provident illis veneris usum, qui salaciores sunt, ac stimulantur magis, prout clam ab eis norunt petentibus, & in palestra prænoscunt.[2] Attamen licentiam à magistro primo generationis qui magnus est Medicinæ Doctor, & subest Amori Principi triumviro, si capiuntur in Sodomia vituperantur, & biduo gestare in pœnam coguntur collo ligatos calceos significando, quod perverterint ordinem: & pedem in capite posuerint. At si reciderint augetur pœna donec in capitalem desinat; At quicunque abstinent à coitu, prorsus usque ad 21. annum, magis autem si ad 27. celebrantur honoribus & cantilenis in publico cætu. Quoniam dum exercentur palestra more priscorum Lacædemonum, nudantur omnes masculi ac fœminæ, Magistri inspectantes norunt qui potentes sint, quique flacci ad coitum. Et quorum mem-

membra quibuscum fœminis congruunt membris, & ita post ubi bene loti sunt, veneri operam dant, tertia quaque nocte, & non copulant fœminas grandes ac pulchras nisi grandibus ac studiosis viris, & pingues macribus, & macras pinguibus, ut bene temperentur & utiliter: Vesperi pueri accedunt & sternunt Thalamos. Dehinc dormitum vadunt sicuti eis jubet magister & magistra. Nec coitu perfruuntur generatores antequam digerant cibum, & orent Deum. Sunt in cubiculis formosæ statuę virorum illustrissimorũ quas inspectant mulieres, mox per fenestras contuentes cœlum rogant Deũ, ut prolem concedat præstantem, in duabus cellis seorsim dormiunt usque ad horam coitus: & tunc surgens Magistra utriusque ostium deforis aperit. Hanc horam Astrologus & Medicus determinant: ac nituntur captare tempus, quo Venus ac Mercurius sint à Sole Orientalęs in domo benigna, in bono aspectu Iovis similiter & Saturni, & Martis, vel in nullo horum. Præsertim Sol & Luna, quæ sæpissime Apherę sunt.

D.Thomæ in 5. polit. lect. 13. docet à figura cœli hominum inclinationes ad mores sciri. Ergo &c.

Virginem in horoſcopo amant, ſed bene cavent ne maleficæ ſint in angulo, quoniam omnes inficiunt angulos quadrato, & oppoſitione: Ex quibus radix vis vitalis & fortunæ ab harmonia totius & partium univerſi pendet: non ſatis expetunt ſatellitium, ſed bonos aſpectus. Satellitium quærunt in fundatione civitatis, & legis cujus tamen non ſit Princeps Mars & Saturnus, niſi interdum optimi diſpoſiti. Aliis utuntur conſtellationibus & ad fixas. Et nefas ducunt genitores non eſſe mundos à ſemine tribus diebus ante coitum: & ab actionibus pravis, vel non eſſe ſummo Deo conciliatos, devotoſque. Cæteri qui per delitias aut neceſſitate Medicinæ, aut ſtimulo, utuntur Venere ſterilium, aut prægnantium, aut fœminarum vilium, hos ritus non obſervant. Magiſtratus vero, qui omnes Sacerdotes ſunt, itemque ſapientes Magiſtri, non fiunt generatores apud eos, niſi pluribus diebus multa obſervarint. Ipſi enim ex multa ſpeculatione debiles habent ſpiritus animales, & virtutem ex cerebro non transfundunt: eo quod

ſem-

ſemper aliquid penſiculant: idcirco prolem flaccam edunt. Ergo in hoc bene animadvertitur. Et copulant hos ſapientes fœminis natura vividis, ſtrenuis, & formoſis. Homines etiam peracutos celeres, argutoſque, & quaſi furentes, fœminis pinguioribus, & blandis moribus. Et dicunt puritatem complexionis, unde virtutes fructificant, non poſſe ſtudio acquiri. Et homines natura pravos timore legis bene operari, vel Dei quo ceſſante, vel clam, vel palam Rempubl. peſſundant. Idcirco totum ſtudium ac principale in generatione adhibendum eſſe: & naturalia merita perpendenda eſſe, non dotes, & nobilitates fallaces generis. Si quid iſtarum fœminarum non concipit ab aliquo viro, copulant ipſam aliis: ſi tandem ſterilis invenitur, fit communis, ſed non datur illi Matronarum honor in Concilio generationis, & in templo, & in menſa: & hoc obſervant, ne ipſa ſterilitatem procuret, luxuriandi gratia. Quæ autem conceperunt quindecim diebus non exercent corpora. Deinde lentis exercitiis utuntur, ad roboran-

dam prolem: & apperiendos meatus nutrimenti ad illam, ac paulatim semper majori exercitio roborantur. Nec edere nisi proficua ex præscripto Medicorum permittuntur. Post ubi peperint, ipsæmet lactant, educantque fœtus in communibus ædibus destinatis: duobus annis lac præbent & ultra, uti jubet Physicus. Deinde ablactata proles traditur curæ Magistrarum, si fœmina est, vel Magistrorum si mas. Et tunc cum aliis infantibus ludicre exercentur in Alphabetis, & picturis noscendis, & in cursu, & ambulatione, & luctamine: & historiis figuratis, & linguis: & veste decora, & varia ornantur. Post 6. annum scientiis naturalibus assuescunt. Deinde cæteris prout Magistratibus congruum videtur. Ac deinde mechanicis. At pueri ingenio abjectiores, mittuntur in villas. Et cum perfectiores evaserint aliqui recipiuntur in civitatem. At plerumque cum sub eadem constellatione generentur, contemporanei sunt virtute consimiles, & moribus, & effigie, & hinc concordia stabilis magna in Repub. suboritur, &

mutuo

mutuo amore & auxiliis sese prosequuntur.

Ipsorum nomina imponuntur non casu, sed arte à Metaphysico juxta proprietatem ut priscis Romanis mos fuit: quapropter alius vocatur pulcher, alius Naso, alius Crassipes: alius Torvus, alius Macer, &c. At cum evaserint præstantes in suis artibus, aut quid magni facinoris in bello, aut pace præstiterint: additur cognomen illis ab arte, veluti, Pulcher, Pictor magnus: Aureus: Excellens: Strenuus: aut ab actione dicendo Naso fortis. Astutus, Victor magnus, maximus: & à devicto hoste, ut Aphricanus, Asianus, Etruscus: vel si superavit Manfredum, aut Tortelium, dicetur, Macer Manfredius: Tortelius, &c. Hæc autem cognomina adduntur ab superioribus Magistratibus, & sæpius cum corona conveniente Actioni vel Arti, &c. Et cum applausu à Musica. Aurum enim & argentum ipsis nihili æstimatur, nisi sicut materia vasorum aut ornamentorum communium cunctis. De impositione nominum.

HOSP. Dic quæso est ne zelotypia

inter

inter eos, & dolor ei, qui non electus est in Magistratum, aut in aliud quod ambit?

GEN. Minime. Nemini enim deest quod necesse habet, nec ad delitias. Generatio autem religiose tractatur in bonum Reipubl. & non privatorum. Et necesse est Magistratibus obedire. Et quod nos dicimus naturale esse homini ad prolem cognoscendam, & educandam, propria uti uxore, & domicilio, & liberis, negant, dicentes generationem esse ad conservationem speciei, ut dicit S. Thom. & non individui. Ergo spectat prolificatio ad Rempubl. non ad privatos, nisi quatenus sunt Reipubl. partes; & quia prave generant, ac prave educant deprivari plerumque prolem in Reipubl. perniciem, ideo Magistratuum curę illam tanquam primum elementum Reipubl. Sacrosancta Religione committunt. Et certitudo est communitatis non particularitas. Distribuunt ergo generatrices & generatores præstantissimę indolis juxta Philosophiam. Plato hanc distributionem putat fortibus faciendam esse, ne à formosis

mulie-

mulieribus videntes se arceri aliqui, & zelo & ira in Magistratus insurgãt: putatque eos, qui non merentur in formosioribus seminare decipiendos esse dum sortes educuntur astu à Magistratibus sic, ut semper illis obveniant quæ congruũt, non quas appetũt. Ast hæc astutia solaribus necessaria non est, ut deformes viri deformes sortiantur mulieres: Nam inter eos deformitas non invenitur: Cũ enim exerceantur mulieres, fiunt coloribus vividę, membris robustę, & grandes, & agiles, & in proceritate ac strenuitate consistit pulchritudo apud eos. Idcirco pœna capitali puniretur si qua faciem fucaret, ut formosa fiat, aut altis scãdaliis uteretur, ut appareret magna, aut vestibus caudatis, ad tegendos ligneos pedes. Sed nec ullã si cuperẽt facultatem talia faciẽdi haberent. Quis enim præberet illis? & ajunt hujusmodi abusiones apud nos suboriri ocio, & desidia mulierũ: quo decolorantur, pallescunt, flaccescunt, & parvescunt. Idcirco indigent appositis coloribus, & sandaliis altis, & pulchras fieri non ex robore, sed ex teneritudine ignava: Itaque propriã

Pulchritudo mulierũ in quo consistit.

tem-

temperiem, naturamque & prolis simul pessumdant. Præterea si quando aliquis amore ardēti capitur mulieris cujuspiam: licet eis colloquiū, jocus, serta ex floribus aut frondibus mutuo largiri, & carmina. At si generatio periclitatur, nullo pacto coitus inter eos dispensatur, nisi quando mulier jam gravida fœtu fuerit (quod mas expectat) aut sterilis. Cæterum vix agnoscitur in eis amor concupiscentię ardentis, sed amicitiæ tantum. Res familiaris, & comestibilis parvi penditur, quoniam cuilibet datur prout opus habet, nisi honoris signum sit. Porro Heroibus, & Heroidibus largiri solet Resp. munuscula honoris grata in solemnitatibus, dum conviv antur, aut serta formosa, aut cibum suavem, aut vestes decoras. Tametsi omnes albis in die vestibus, & in Civitate utantur: noctu vero & extra Civitatem rubris, sive laneis sive sericeis: abominantur colorem nigrum sicuti fæces rerum: idcirco oderunt Iaponenses, atri coloris amicos. Superbiam vitium execrabilissimū ducunt, & superbus actus castigatur abjectione sævissima. Quapropter

De colore vestiū.

Contra superbiam.

propter nemo reputat vilitatem ministrare in mensa, vel in culina, aut ægris, &c. Sed vocant disciplinã omne ministerium: & ajunt ita honorificum esse pedi ambulare, & culo cacare: sicut oculo videre, & linguæ loqui: nam ille lacrymas, & ista sputum, excrementa excernunt, cum opus est. Idcirco cuicunque quilibet ministerio deputatus operatur illud tanquam honestissimum. Non habent mancipia fædantia mores. Ipsi enim sibi ipsis sufficiunt, & superant. At nos, heu, non ita 70000. Animæ Neapoli commorantur: & ex eis vix laborant decem aut quindecim millia; & hi nimio labore macerantur continuo, & diuturno, & destruuntur. Ociosi quoque cæteri perduntur desidia, avaritia, ęgritudine corporis, lascivia, usura, &c, plurimamque gentem contaminant, & pervertunt, detinendo illam in ipsorum servitium sub paupertate, & adulatione, ac impartiendo propria illis vitia; ergo deficit publicum servitium, & utiles functiones. Campus, militia, & artes non nisi prave coluntur: & cum fastidio multo pau-

Communis labor quid prosit.

paucorum. Ast in Civitate solis dum cunctis distribuuntur ministeria, & opera: vix quatuor in die horas singulis laborare contingit: reliquum licet tempus consumatur in addiscendo jucunde, disputando, legendo, narrando, scribendo, deambulando, exercendo ingenium, & corpus & cum gaudio. Nec permittitur ludus illis, qui fit sedendo, neque talorum, neque alearum, neque scacchorum, aut similium, &c. Ludunt pila, folliculo, trocho, lucta, jaculatione pali, Sagittæ, Archibusio, &c. Asserunt insuper paupertatem asperam efficere homines, viles, astutos, dolosos, fures, insidiosos, exules, mendaces, testes falsos, &c. Divitias vero insolentes, superbos, ignorantes, proditores, præsumentes quod nesciunt, fallaces, jactabundos, sine affectione, contumeliosos, &c. At communitatem efficere omnes simul divites ac pauperes, divites quia omnia habent: pauperes, quoniam nihil possident; ac simul rebus non serviunt, sed res ipsis, & in hoc valde laudant religiosos Christianitatis: maxime autem vitam

Apostolorum.

HOSP. Hoc pulchrum sanctumque videtur: ac communitas mulierum ardua nimis. Sanctus Clemens Romanus dicit & conjuges juxta institutum Apostolicum communes esse debere, & laudat Platonem ac Socratem ita docentes: sed glossa intelligit hanc Communitatem, quoad obsequium non quoad Thorum. Ac Tertullianus consentit glossę, priscos Christianos omnia communia habuisse, præter uxores: quæ tamen & in obsequio communes fuerunt.

C. 12. q. 1. de Com. c. dilectissimis. De mulierum cõmunitate Disp.

GEN. Isthæc ipse vix novi. Hoc vidi Solaribus communes esse mulieres obsequio, & Thoro: sed non semper neque more belluarum, quamcũque oblatam fœminam subagitantium, sed nisi gratia & ordine generationis ut dictũ Credo tamen hos decipi posse in hoc. At ipsi tuentur se judicio Socratis, Catonis, &

Vide super hoc q. 4. & in lib. de Monar. Messiæ, contra Sotum, putantem hæresim esse communitatem, cum potius contrarium sit hæresis ex S Tho. August. & Conc. Const. male intellectis ab eo vide etiam antimachiavellismum ubi ista q. etiam tractatur. Cajeta Consentinus in Dialogo de pulcro.

Pla-

Platonis, & S. Clementis, sed, ut dicis, male intellecti. Ajunt S. Augustinum communitatem approbare magis, sed non fœminarum quia est hæresis Nicolaitarum, in Thoro. Ecclesiam autem nostram permisisse, ut majus malum vitaret, & non ut majus bonum introduceret, proprietatem bonorum. Fieri posset ut quandoque hunc morem deponerent: nam in civitatibus subditis non sunt communia nisi bona alia: mulieres vero minime, nisi quoad obsequium, & artes. At solares id adscribunt imperfectioni aliorum, quia Philosophati minime fuerint. Nihilominus mittunt ad explorandum mores nationum: & meliores semper amplectuntur. Consuetudo quidem aptas bello mulieres facit, & aliis usibus: Itaque Platoni consentio ex quo istas vidi: & rationes Cajetæ nostri non satis approbo: minime vero Aristotelicas. Hoc egregium est illis, imitatione dignum: quod nullus defectus ociosos reddit homines, excepta decrepita ætate, quando etiam ad consulendum adhibentur. At qui claudus est servit in excubiis speculans

Vigor euangelii non

lans

lans oculis, quos habet: Qui cæcus est carminat manibus lanam, exſpoliando plumas pilis, quibus replentur anaclinteria, & pulvinaria, qui caret oculis, & manibus, uſum aurium Reipubl. commodat, vel vocis, &c. & tandem ſi unum modo membrũ habet, cum illo ſervit vel in villis, & bene tractantur, & ſunt exploratores Rempubl. admonentes quæcunque audierint. potest totus naturaliter noſci.

HOSP. Dic quæſo nunc rem bellicam: deinde enim artes, & victum dices, & ſcientias, & poſtremo ipſorum religionem. De re bellica.

GEN. Poteſtas triumvir ſubſe habet magiſtrum armorum, magiſtrum artillerię, & equitum, & peditum, & Architectorum, & ſtratagematum, &c. & horum cuilibet, parent magiſtri, & artifices primarii multi ejuſdem artis. Inſuper Athletis præeſt: qui militare exercitium docent omnes; & hi provecti ætate prudentes Duces ſunt; à quibus exercentur pueri poſt duodecimum annũ: quamvis ante aſſueti ſint luctę, curſui, jaculationi lapidum, &c. ſub magiſtris inferioribus. Nunc autem docentur

ferire

ferire hoſtem, & Equos, & Elephantos, tractare enſem, lanceam, ſagittas, fundas, equitare, perſequi, fugere, manere in ordine militiæ, adjuvare commilitionem, arte prævenire hoſtem, ac vincere. Mulieres quoque has docentur artes ſub magiſtris & magiſtrabus propriis ut poſſint ſi quando opus foret, opem ferre maſculis in bello propinquo civitatis, &c. ac mœnia tueri, ſi quando invaſio impetuoſa repente inundaret, & Lacedæmonas & Amazonas hic laudant. Quare bene norunt pilas ignitas archibugio jaculari, illas ex plumbo formare: jacere lapides ex pinnis, obviam impetui ire, ac penitus adſueſcunt omnem abjicere metum, & quidem magna puniuntur pœna, qui timiditatem oſtenderint. Mortem nil timent, quoniam omnes credunt immortalitatem animorum: ac de corporibus exeuntes aſſociari ſpiritibus probis, aut pravis juxta merita præſentis vitæ. Quamvis ipſi ſint Bracmani ex parte Pythagorici, tranſmigrationem animarum non aſſerunt niſi ex aliquo interdum judicio Dei. Nec abſtinent

à læ-

à lædendo hoſtem Reip. & Religionis, humanitate indignum. Secundo quoque menſe exercitum luſtrant : & quotidianum eſt armorum exercitum, aut in campo equitando aut intra mænia. Nec deeſt lectio de arte militari unquam, curant legendas hiſtorias Moyſi, Ioſue, David, Machabeorum, Cæſaris, Alexandri, Scipionis, Hannibalis, &c. Ac deinde ſententiam ſinguli dicunt propriam: hic bene fecerunt, hic male, hic utiliter, hic honeſte, & deinde reſpondet Pręceptor, & decernit. HOSP. Quibuſcum belle gerunt, & quas ob cauſas, cũ ſint ita fœlices? GEN. Et ſi nunquam bella contigerent, nihilominus in arte militari exercentur, & in venatione, ne forte molleſcant : atque omnem in eventum ne ſint imparati. Prętereа quatuor ſunt regna in Inſula, quæ ipſorũ fœlicitati invident valde, eo quod Populi cuperent vivere more horũ ſolarium ac potius his ſubeſſe, quam propriis Regibus: quapropter ſępe bellum in hos movetur cauſando, quod cõfines uſurparint & impie vivãt, propterea quod non habeãt Idolo, nec ſectẽtur ſuperſtit. Gentili-

De modo belli gerandi.

tilium aliorum, nec Bragmanorum priscorum. Et tanquam in rebelles insurgunt alii Indi, quibus prius subditi erant: & Taprobanenses, quibus primo indiguerunt. Nihilominus victores sunt semper solares: Porro hi cum primum patiuntur insultum, aut dedecus, aut prædam, vel ipsorum amici vexantur, aut ab aliis Civitatibus tyrannide oppressis tanquam liberatores advocantur, repente inConcilium eunt consultum. Vbi primo coram Deo genuflectũt, ut inspiret consilium optimum. Deinde examinantur merita negotiorum, & sic indicitur bellum. Mittitur statim Sacerdos, quem vocant Forensem. Hic petit ab hostibus prædæ restitutionem, aut ut solvant oppressione suos amicos, aut deponant Tyrannidem: Quibus negantibus indicit bellum, invocando Deum ultionum, Deum Sabaoth, in exitium eorum qui iniquam tuentur causam. Si vero detrectant respondere hostes, Sacerdos dat illi terminum respondi horam unam, si Rex est, tres vero, si Resp. ne illudere queant. Ac ita suscipiter bellum contra contuma-

maces Iuris naturalis & Religionis. Indicto bello, omnia exequitur Vicarius potestatis. Potestas autem quasi dictator Romanus omnia proprio agit consilio, & voluntate, ut tarditas noxia vitetur. At cum res magni momenti fuerit, consulit O & Sapientiam & Amorem. Sed ante in consilio magno proponitur à Predicatore belligerandi occasio, & justitia expeditionis faciendæ: & intrant omnes in concilium à 20. annis, & supra, ac ita ordinantur necessaria. Scire liceat, apud ipsos omnia armorum genera in armamentariis adversari: quibus sæpe utuntur ad experimentum in præliis fictis. Singulorum circorum parietes exteriores pleni sunt bombardis, & ministris ipsorum paratis: habent & alia hujusmodi tormenta bellica, quæ Cannones vocantur, quæ ferunt in prælium super Mulis, & Asinis, & Carucis: & sicubi fuerint in aperto Campo, intercludunt in medio commeatus, & tormenta, & currus, & scalas, & machinas: & simul diu animose præliantur. Mox pedem referunt sub vexillis quisque suis. Ho-

ſtes vero decipiuntur putātes eos loco cedere, aut parare fugam: ergo inſectantur: at ſolares in cornua & agmina utrinque diviſi reſumunt halitum & vires, jubentque artilleria pilas jaculari ignitas, ac deinde revertuntur ad pugnam contra perturbatos hoſtes. Et multa hujuſmodi obſervant. Stratagematis & machinis, cunctos ſuperant mortales: caſtrametantur more Romano; tentoria figunt, muniuntque vallo & foſſa, celeritate mirifica. Adſunt Magiſtri operum & machinarum, & tormentorum: ligone & ſicuri milites cuncti uti norunt. Habent & duces quinque aut 8. aut 10. conſulentes in negotio bellico, ordinem & ſtratagemata docti, imperantes ſuis agminibus prout ante conſuluiſſent. Solent & conducere agmen puerorum armatorum in equis, ut bellum diſcāt, ac aſſueſcant quaſi catuli luporum, & leonum in ſanguine: qui periculi tempore in tutum ſe recipiunt, & mulieres multæ armatæ cum eis. Ac poſt pugnam ipſæ mulieres & pueri bellatoribus blandiuntur, medicantur, ſerviunt, amplexibus & verbis

corro-

corroborant. Mirũ quantopere proficiat hoc unũ. Milites quidam ut ſeſe ſtrenuos oſtendant uxoribus ac natis, ardua aggrediũtur, & victores facit amor. In certamine qui primus ſcandit hoſtiles muros, accipit poſt conflictũ coronam gramineam honoris ergo cum militari applauſu à mulieribus & pueris. Qui ſocio auxilium præbet, coronam civicam, quercinam, qui Tyrannum occidit optima ſpolia templo ſacrat, & ab O recipit cognomẽ facinoris. Alii alias coronas accipiunt. Equites gerunt quiſque lãceam unam, & duas ex ephippiis pẽdentes piſtolas, validæ temperaturæ; anguſtas in orifico magis; qua de re penetrãt omnem ferream armaturã. Macherã inſuper habẽt & pugionem. Alii vero Clavam ferreã, qui ſunt levis armaturę milites. Nam ſi nequeat ferrea armatura hoſtilis, machera, nec piſtola forari, aggrediuntur hoſtem clava, ſicut Achilles Cignũ: & cõquatiunt, dejiciũtque. Duæ catenæ ex clava pendent ſex palmorũ; & in extremo illarum ferreæ pilæ, ita quod projectæ in hoſtem circundant collũ ejus trahunt dejiciuntque, proſternunt. ut

Secretũ de Equo gubernando pedibus.

autem facilius uti clava possint, non tenent manu equi habenas, sed pedibus: Siquidem lora super ephyppiis sellæ decussatim permutantur. & staffis extrema innodantur fibulis, non autem pedibus. Staffæ autem exterius spheram habent ferream, inferius vero triangulum. Idcirco permutante pede latus in triangulo contorquendo, in gyrum trahuntur sphæræ, prout fibulis pendent è staffilibus itaque contrahunt vel laxant frænum mirabili celeritate: & dextro pede torquent equum ad sinistram, sinistro vero ad dexteram. Hoc arcanũ Tartaros quoque latet: nam licet pedibus regant habenas, nesciunt tamen torquere, attrahere, & extendere per trocleam staffarum. Equites levis armaturæ primo committunt prælium Archibugiis, deinde phalanges hastis, deinde fundibularii qui in pretio habentur magno, & consuerunt pugnare intercurrentibus quasi in textura filis, aliis procedentibus, aliis sese recipientibus vicissim. Habent acies firmantes exercitum sarissis: ensibus autem postremum tentatur periculum.

Post

Post bellum celebrant triumphos militares more Romanorum, & pulchriores: & supplicationes Deo in gratiarum actionem, & tunc Dux in templo se præsentat, & narrantur bene, ac male gesta à Poeta vel Historico, qui secum de more in expeditione fuit. Et Princeps maximus coronat Ducem laurea, & singulis strenuis militibus munuscula, & honores impartiuntur, qui & plures dies vacant à laboribus publicis. Quod nec illis placet nimis: quoniam nesciunt ociosi esse: Itaque opem ferunt amicis. è contra enim qui propria culpa victi sunt, aut victoriam amiserunt, vituperio excipiuntur, & qui primus fugam arripuit, mortem evadere nullo pacto valet, nisi cum totus exercitus ejus vitam poscit, & singuli partem pœnæ in se recipiũt. At raro admittitur ad hanc indulgẽtiam, nisi ubi rationes multæ illi favent. Qui vero socio aut amico non tulit opportunam opem, virgis cæditur. Qui inobediens fuit traditur bestiis devorandus intra quoddam vallum, daturque baculus in manu ejus; & si vicerit leones & ursos, qui ibi

ſunt, quod fere impoſſibile eſt, recipitur denuo in gratiam.

Civitates ſubjugatæ aut ultro illis datæ, confeſtim omnia in communi reponunt; præſidium, & magiſtratus ſolares accipiunt, ac paulatim aſſueſcunt moribus Civitatis ſolis, magiſtræ omnium: ad quam etiam filios docendos mittunt, nihil pro expenſis contribuendo.

Operoſum eſſet narrare de exploratoribus, & magiſtro ipſorum, & excubiis, & de ordinibus, ac ritibus intra & extra Civitatem; quæ ex te potes cogitare: quia eliguntur à pueritia juxta inclinationem, & conſtellationem in ipſorum genituris inſpectam. Quapropter ſinguli operantes juxta naturalem propenſionem ſuam, bene tractant miniſterium ſuum, & jocunde, quia naturaliter. Idem dico de ſtratagematis & aliis functionibus, &c.

Excubiæ fiunt in Civitate diuque noctuque in quatuor portis & in extremis mæniis ſeptimi gyri ſuper propugnaculis & turribus, & aggeribus intrinſecis. In die quidem à fœminis, in nocte vero à maribus. & hoc

hoc ne pigrescant, & ob fortuitos casus: vigilias partiuntur sicut milites nostrates horis ternis. Et in solis occasu ad sonum tympani, & symphoniæ armati custodiæ distribuuntur. utuntur venatione ut belli imagine, & ludis, pedes & equites in plateis quibusdam in festivitatibus. Deinde sequitur musica, &c. libenter culpas & offensas inimicis condonant: & post victorias benefaciūt illis. si muros diruere aut capita hostilia interficere decretum est. Hæc omnia uno eodemque die victoria faciunt. Deinde beneficia non cessant illis cōferre, & dicunt, non esse pugnandū, nisi ut victos reddant meliores, nō autem ut extinguant. Si inter eos cōcertatio est de injuria, aliave de re; (nam ipsi vix nisi de honore cōtendunt.) Princeps ejusque magistratus castigant reum clanculum, si injuriam factis proruperit post iram primam. Si verbis expectant decisionem usque ad præliū, dicendo iram evomendam esse contra hostes. qui autem in bello gesta præclariora ostenderit, ille in contentione causam meliorem deffendisse & veritatem reputatur.

Alter vero cedit. At circa Iuſtum pœnæ ſunt. Veruntamen ad monomachiam venire non datur: tum quia tollitur virtus Tribunalis: tum quia injuſta ſæpe apparet, quando juſtior ſuccumbit. qui autem ſe meliorem oſtendere profitetur in publico bello id agat.

De Opificio.

HOSP. Operæ pretium, ne factiones foveantur in Patrię perniciem, ac Civilia bella extinguantur, ex quibus oritur Tyrannus ſępe, veluti Roma, & Athenæ admonent. Nunc ipſarum, rogo, dic opificia, &c.

GEN. Audiſſe te credo, quo pacto communes ſunt illis ars militaris, agricultura, Paſtoralis: quilibet enim has noſſe tenetur, quas in primo nobilitatis gradu celebrant. Attamen, qui plures callet artes, nobilior habetur, & ad diſcendam artem is addicitur, qui aptior eſt ad ipſam. Artes operoſiores ſunt apud eos laudabiliores, veluti Ferraria, ædificatoria &c. ac nemo aggredi ipſas detrectat, eoque magis, quod in ipſorum Geneſi propenſio patet: & inter eos ob laborum diſtributionem, nemo laborem adit deſtructivum indivi-

dui,

dui, sed conservativum modo. Artes operosę minus, fœminarum sunt. Nosse natare omnes tenentur. & hanc ob rem sunt piscinæ extructæ extra mœnia Civitatis, & intra prope fontes. Mercatura illis exiguum præstat usum. Agnoscunt tamen pretia monetarum, & cudunt pecuniam legatorum & exploratorum gratia, ut pecunia victum comparent. Ex variis mundi Regionibus accedunt ad Civitatem ipsorum Mercatores empturi superflua bona Civitatis. Solares autem renuunt pecuniam accipere, sed merces rerum, quibus ipsi carent, accipiunt in communicatione & sæpe emunt pecunia. Ac pueri Solares in risus prorumpunt, cum vident pro parvo pretio tantam mercium copiam elargiri: At non ita senes rident. Nolunt à mancipiis & advenis Civitatem pravis moribus labefactari. Idcirco mercantur in Portis, & vendunt quos bello capiunt, aut excavandis fossis, aut operosis laboribus extra Civitatem ipsos destinant. Quo perpetuo quatuor militum agmina mittuntur ad custodiam agrorum, ac simul la- De custodia agrorum.

boratores : ex quatuor portis, quæ vias habent lateribus constructas usque ad mare, ut facile res conducantur, & advenę non impediantur. Quibus sane jucundi sunt ac munifici. Tribus diebus publicis expensis alunt eos, lavant pedes ipsorum primo. Ostentant Civitatem, & ordinem ipsius, concilio & mensa publica eos secum dignantur, & sunt viri deputati ad hospitum curam & custodiam. At si velint fieri Cives in Rep. solis probant eos per mensem in villa: & alterum mensem in Civitate: deinde decernunt & recipiunt eos certis ceremoniis, & juramentis, &c. Agricultura plurimi fit: non est Terræ palmus absque fructu observant ventos Stellasque propitias, paucis relictis in Civitate exeunt omnes armati in cāpos ad arandum, seminandum, fodiendum, sarculandum, metēdum, colligendum, vindemiandum, cum Buccinis, Tympanis, & vexillo, & omnia expediunt paucissimis horis perficiuntque labores, ex arte. Carris utuntur velis supersparsis, quæ vento feruntur etiam contrario, artificio mirabili rotarum contra rotas, & cum ven-

De hospitio exhibitio exhibendo.

De agricultura.

De Carris.

ventus deest, bestia una plaustrũ magnum trahit, pulchrũ visu. Custodes territorii discurrunt interim armati semper per vices. Stercoratione non utuntur ad campos impinguãdos, & lutis putãtes, quod semina quid marcoris contrahant, ac vitam brevem manducata efficiant, & flaccam, veluti mulieres fuco & non exercitio pulchræ prolem pariunt languidam: quapropter nec tellurem ipsi fucant; sed bene exercent, & arcanis utuntur remediis, ut cito nascantur semina, & multiplicent, nec perdantur, librum habent ad hoc opus, quem vocant Georgica. Pars territorii quanta sufficit, aratur, reliqua remanet ipsi pascua animalium.

De custodia agrorum.

Porro generosa ars procreandi educandi educandique equos, boves, pecudes, canes, omneque genus bestiarum domesticarum, & cicurum, in summo est pretio apud eos, sicuti fuit in tempore Abrahæ. & ita perducuntur ad coitum, ut bene generare queant. Apponuntur picturæ nobiles boum, equorum, pecudum, &c. Emissarios equos equabus non associant ad pastum, sed opportuno

De Arment.

tempore copulant eos in atrio stabulorum campestrium; observant Sagittarium in horoscopo, in bono aspectu Martis & Iovis. Pro bobus Taurum, pro pecudibus Arietem, &c. Secundum artem. Habent gregem Gallinarum sub plejadibus: Anates, Anseres, ductas ad pastum à mulieribus prope Civitatem, non sine ipsarum oblectatione. ubi & loca sunt, quibus clauduntur: & ubi caseum, butyros, & lacticinia conficiunt. curant capones castratos multos, & fructum, &c. Extat liber de hac re, quem Bucolica vocant. Omnibus abundant rebus, quoniam quilibet esse primus cupit in labore, quia paucus est, & fructuosus; ipsique bene dociles sunt: & quicunque inter eos caput est aliorum in hujusmodi ministeriis appellatur Rex. Dicunt enim hoc esse nomen proprium ipsorum & non ignorantum. Mirum quomodo gregatim mulieres ac viri incedunt, ac nusquam præter obedientiam Regis: nec ab hoc fastidium contrahunt, ut nos quoniam agnoscunt illum ut patrem aut fratrem majorem. Habent nemora & sylvas fera-

ferarum, quibus sæpe exercentur.

Ars nautica dignificatur valde apud eos, & habent rates & triremes quasdam, absque remigio, & absque ventis, miro artificio mare perambulantes: alias vero ventis & remis agitatas. Bene norunt stellas, ac fluxus refluxusque maris. Navigant gratia cognoscendi gentes, & Regiones varias, & res. Nemini injuriam inferunt, nec inferri patiuntur, non præliantur nisi lacessiti. Dicunt orbem terrarum eò venturum totum, ut vivat juxta mores ipsorũ, idcirco sẽper perscrutãtur, num alia sit natio, quæ probatiorẽ & pręstãtiorẽ vivat, vitam. Admirantur Christianã institutionem: & vitam Apostolicam in se & in nobis expectant. Federa habent cum Chinensibus, & cum populis multis, insulanis, & continentis, Siam, Caucacinæ, Calicuti, per quos explorare modo possint. Habent quoque & ignes artificiales ad pugnas navales, & terrestres, multaque stratagematum arcana: Ideo nunquam fere non sunt victores. De Nautica.

HOSP. Pergratum esset nunc audire quibus nutriantur cibis, & potibus De vita & victu totius & partium Reip.

tibus, & quomodo & quanta eſt ipſorum vita.

GEN. Ipſi docent prius conſulendum eſſe vitę totius deinde partium. Idcirco quando Civitatem extruxerunt ſigna fixa poſuerunt in quatuor mundi angulis. In horoſcopo Leonem & Jovem à Sole Orientalem. Mercurium vero ac Venerem in Cancro, ſed prope quod facerent Satellitium. Martem in Sagittario in quinta fœlici aſpectu Aphetam & horoſcopum roborantem. Lunam in Tauro, quæ bene aſpiciebat Mercurium & Venerem, nec tamen quadrato feriebat. Solem, Saturnus quartam appetebat domum, nil tamen lædens Solem & Lunam, ſed ſtabiliens fundamenta erat Fortuna cum Algol erat in decima, ex quo ipſi augurabantur ſibi dominatus firmitatem & excellentiam. Porro & Mercurius in bono virginis aſpectu, & abſidis à Luna illuſtratus malus eſſe non poteſt: & cum Iovialis ſit, ipſorum ſcientia non mendicat, parum curant in Virgine ipſum præſtolari, & conjunctionem, obſervāt quoque ad robur & diuturnitatem vitæ

ſin-

ſingularum poſitionem ſtellarum in conceptione, ut dictum eſt. Dicunt enim Deum cauſas dediſſe rerum, quibus ſapiens uti non abuti debet.

Cibus ipſorum ſunt carnes, butyrum, mel, caſeus, dactyli & olera varii generis, & à principio nolebant animalia occidere, eo quod crudele videretur: at conſiderantes poſtea crudele quoque eſſe herbas occidere quæ ſenſum & ipſæ participant: unde fame perire opus erat intellexerũt res ignobiles nobilium gratia factas eſſe ideoque nunc omnibus veſcuntur. non tamen libenter occidunt animalia fructuoſa, ut boves & equos. Diſtinctionem obſervant ciborum utilium & noxiorum, & ex Medicinæ ſcientia utuntur eis. Ter cibum perpetuo mutant: primo manducant carnes. Secundo piſces. Tertio herbas, deinde revertuntur ad carnes, ne gravetur nec extenuetur natura. Senes utuntur cibis digeſtibilioribus & manducant ter in die & parum. Cõmunitas vero bis, pueri quater, ut Phyſicus diſpenſat. Vivunt ut plurimum ad centum annos: plerique vero ad ducentos. De Cibis.

In

De potu. In potu temperatissimi sunt. Vinum juvenibus non conceditur usque ad decimum nonum annum nisi necessitatis sanitatis urgeat. Post hoc tempus diluto aqua utuntur. Ita & mulieres. senes quinquagenarii aquam plerumque non apponunt. Manducant pro anni temporibus utiliora: & omnino, ut à Prothomedico, qui hoc curat consulitur. Nihil noxium tunc reputant, quando à Deo producitur, nisi quantitatis multæ abusus adsit. Idcirco in æstate fructibus vescuntur, quia humidi sunt, succique pleni & frigidiusculi, contra æstus ardorem & ariditatem, in hyeme siccis rebus, in autumno uvis, quoniam contra atram bilem, & tristitiam datæ sunt à Deo, utuntur plurimum odoribus. Mane surgētes pectunt caput, lavantur vultum & manus in aqua frigida omnes. Deinde dentibus masticant mentam, aut petroselinum, aut maratrum, vel manibus confricant: Seniores Thus, & orant Orientem versus brevi oratiuncula per simul orationi quam nos docuit IESVS CHRITVS: Et egrediuntur alii ad ministrandum senibus,

Nota.

nibus, alii in chorum, alii ad functiones Reip. Deinde se conferant ad lectiones primas. Deinde in templum. Deinde ad exercitium corporale. Deinde quiescunt parumper, sedendo: & tandem ad prandium accedunt.

De morbis Solarium & cura.

Inter eos non est podagra, neque chiragra, nec catarrhi, nec schiatica, nec colici dolores, nec inflationes & flatus: hi enim morbi à distillatione oriuntur, & ab inflatione: ipsi autem frugalitate, & exercitio dissolvunt humorem omnem & flatum. Quapropter dedecus & magnum si quis spuere & excreare conspicitur: ajunt enim hoc signum esse vel pauci exercitii, vel ignavæ pigritiæ, vel crapulæ & ingluviei. potius inflammationibus laborant, aut spasmo sicco: quibus copia succulēti probique cibi succurrunt. Hecticas vero dulcibus curāt balneis; & lacticiniis, & habitatione amœna in villis, & lento, lętoque exercitio. Lues venerea pręvalere nō potest inter eos, quoniā crebro lavacro vini corpora mundant. oleisque aromaticis leniūt, & sudore exercitii dissolvunt vaporem fœtidum à quo putrescit

trescit sanguis, & medulla. Phthysim minus patiuntur, quia distillatione carent ad pectus, minime autem asthma: cujus constitutioni crassus humo requiritur. Curant febres ardentes frigido aquæ potu. Ephemeras vero odoribus, & brodio pingui, aut somno, aut sonis, aut exultatione. Tertianas emissione sanguinis, & Reubarbaro, aut persimili attractivo, aut decocta aqua in radicibus herbarum purgativarum & acetosarum. Sed raro medicinam purgativam bibunt. Quartanas facile curant, repentinum improvisis metum incutientes & herbis humori quartanæ oppositis, aut per similibus: & ostenderunt mihi arcana contra ipsas.

Diligentiori opera curant continuas, à quibus pavent magis, & observatione stellarum, & herbarum & precibus ad Deum contra ipsas dimicant. Quintanas, sextanas, octanas, &c. fere nullas vides, ubi crassi humores desunt.

Vtuntur balneis, ideo & thermas habent ritu Romanorum; & oleis, ac longe plura remedia arcana invenerunt, ad munditiem, sanitatem, & robur

robur ſervandum. His aliiſque modis dimicant contra morbum ſacrum quo crebo infeſtantur.

HOSP. Signum mirifici ingenii, unde Hercules, Scotus, Socrates, Callimachus, & Machomettus eodem laborarunt.

GEN. Dimicant autem precibus ad Cœlum: corroboratione capitis: & rebus acidis, & exquiſita exultatione & brodiis pinguibus inſparſis flore farinæ triticeæ. In condiendis ferculis peritiſſimi ſunt: apponunt macim, mel, butyrum, aromata multa valde corroborantia: & pinguedinem acetoſis temperant, ne unquam reſpuant. Non bibunt frigidum nive potum, nec calefactum ex arte, uti Chinenſes; non enim indigent auxilio contra humores in caloris nativi ſubſidium, ſed hunc roborant contuſio allio, aceto, ſerpillo, menta, baſilico, in æſtate, & laſſitudine præſertim. Norunt & arcanum ad renovandum vitam quolibet poſt ſeptennio, abſque afflictione, & ex arte ſuavi, ac mirifica quidem.

HOSP. Adhuc de ſcientiis, & magiſtratibus non dixiſti.

GEN.

De Magiſtratuum electione, & regimine, & concilio iterum ac preſſius.

GEN. Vtique: ſed quoniam ita curioſus es, plura annectam. Quolibet in novilunio, ac plenilunio congregant concilium poſt Sacrificium. Huc admittuntur omnes à 20. annis & ſupra, & interrogantur una ſinguli, ut referant, quid deſit Reip. qui magiſtratus ſuo munere recte fungantur, & qui prave. Item poſt octavum quemque diem omnes magiſtratus congregantur, videl. O. primus, & cum eo Poteſtas, Sapientia, & Amor. Quorum quiſque tres ſub ſe magiſtratus habet, qui ſimul ſunt 13. iique functiones artium ſibi convenientium habent. Poteſtas militiæ, Sapientia ſcientiarum, Amor victus, veſtitus, generationis & educationis. Conveniunt & omnium agminum magiſtri, qui ſunt decuriones, quinquagenarii, centuriones, cum mulierum, tum virorum, & tractatur de his, quæ Reip. interſunt, & eliguntur magiſtratus, qui tantummodo nominati antea fuerant in concilio magno. Itidem quotidie conſilium ineunt. O, & tres viri Principes, de rebus occurrentibus: & corrigunt, & confirmant, & exequun-

quuntur quę decisa sunt in electionibus, alia provident necessaria. Non utuntur sortibus, nisi ubi sunt omnino dubii quo pendere debeant. Hi Magistratus permutantur juxta populi voluntatem. At priores quatuor nunquam: nisi ipsimet de Consilio inter eos habito cedant dignitatem illi, quem pernoverint sapientiorem seipsis, & ingenio clariorem & puriorem; profecto ita dociles, ac probi sunt, quod libenter cedunt sapientiori, & ab eo discunt. Sed hoc raro accidit. Principalia scientiarum capita subjiciuntur Sapientiæ triumviro, præter Metaphysicum, qui est ipse O, qui omnibus scientiis imperat, sicut Architectus: & pudet illum quippiam possibile mortalibus ignorare; sub Sapientia ergo est Grammaticus, Logicus, Physicus, Medicus, Politicus, Moralis, Oeconomicus: Astrologus, Astronomus, Geometra, Cosmographus, Musicus, Prospectivus, Arithmeticus, Poeta, Rhetor, Pictor, Sculptor. Sub Amore triumviro est Genitorius, Educator, Medicus, Vestiarius, Agricola, Pastor, Armentarius, Cicurarius, Magnus

Co-

Coquinarius, Farctor, &c. Sub Potestate triumviro sunt Stratagemmarius, Campionista, Ferrarius, Armarius, Argentarius, Monetarius, Architectus, Magister exploratorum, Magister Equitum, & Peditum, & Equorum: Gladiator, Bombardarius, Fundibularius, Iustitiarius. Ac hi omnes sub se habent particulares artifices.

De judicandi modo & judice.

HOSP. De Iudicibus autem quid?

GEN. Hoc dicere cogitabam, singuli judicantur à Magistro primo suæ artis, ergo omnes Artifices primates sunt judices, & puniunt exilio, flagellis, vituperio, privatione mensæ communis, interdicto Ecclesiæ, commercii mulierum. At cum casus accidit injuriosus, morte punitur, & oculum pro oculo solvunt, nasum pro naso, dentem pro dente. &c. Iuxta legem talionis; si casus est voluntarius, & præfuit cõsilium. Quando vero rixa est, ac nullo præeunte consilio accidit, sententia mitigatur: non tamen à Iudice, sed à triumviratu, à quibus etiam provocatur ad O non per Iustitiam, sed per gratiam. Hic autem potest condonare. Carceres

res non habent, nisi turrem unam ad includendos rebelles hostes, &c. Non scribitur libellus causæ, quem vulgo dicimus processum. Sed coram judidice ac potestate accusatio & testes producuntur, & reus respondet defēsionem; & statim absolvitur aut condemnatur à Iudice, & si provocat ad Triumvirum, sequenti die absolvitur aut condemnatur. Tertio vero die ab O aut gratis dimittitur per indulgentiam, aut sententia inviolabilem accipit firmitatē: & reus accusatori conciliatur & testibus, tanquam medicis suę ægritudinis, amplexu, osculoque &c. Nec quispiam moritur nisi manibus populi occidatur aut lapidetur, primo tamen incipientib. accusatore ac testibus: Carnifices enim & Lictores non habent ne fędetur Respub. Aliis vero datur electio mortis, qui sibi pulverem. bellicū in sacculis circundant & supposito igne cremātur, assistētibus hortatoribus ad bene moriendū. Tota autem Civitas collacrymatur, & precātur Deum ut sedetur ira sua, dolentes quod eo devenerint, ut membrum Reip. putridum habeant resecandū. Et quidem rationibus ipsum

ipſum reum convincunt & ſermocinantur donec ipſemet acceptet cupiatque ſententiam capitis, alioquin nec moritur. At ſi facinus commiſſum eſt contra libertatem Reip. aut contra Deum aut contra Magiſtratus ſupremos , abſque miſericordia fit ſubito animadverſio. Hi tantummodo morte puniuntur. Qui autem moriturus eſt coram populo cogitur ex religione dicere cauſas, quibus non deberet mori, & peccata aliorum qui mori & ipſi deberent: & culpas magiſtratuum : aſſerendo quod hi deterius ſupplicium merentur , ſi tamen ita videtur illi in conſcientia. Ac ſi vicerit rationibus,mittitur in exilium : & expiant Civitatem precibus, Sacrificiis, & emendationibus. Non tamen nominatos à Reo vexant ſed admonent. Peccata fragilitatis & ignorantię puniuntur tantummodo vituperiis , & coactione ad conſuetudinem continentiæ , aut ad diſciplinam illarum ſcientiarum aut artium , contra quas peccavit. & ac ſe invicem ita ſe habent, quod videntur omnino eſſe ejuſdem corporis membra & alter alterius.

Hic

Hic ſcias velim quod, ſi quis peccator non expectata accuſatione ultro magiſtratus adit accuſans ſe ac petẽs emendationem, liberatur à pœna occulti criminis, quæ commutatur in aliam, dum accuſatus non fuiſſet. Magnopere cavent ne cui quiſpiam calumniam ſtruat: ſi quidem in pœnam talionis incidat eſt opus. & quia ſemper turmatim ambulant & operantur, quinque teſtes ad convincendum peccatorem requiruntur; alioquin præſtito juramento liberatur cum comminatione. Sin ſecunda & tertia vice accuſatur ſub duobus aut tribus teſtibus geminatam pendet pœnam. Ipſorum leges paucę ſunt, ac breves, & claræ, deſcriptę omnes in tabula ærea, pendente ad valvas templi, hoc eſt in columnis: & quidem in ſingulis columnis inſcriptę cernuntur quidditates rerum Metaphyſico ſtylo ac breviſſimo. Quid videl. eſt Deus, quid Angelus, quid Mundus, Stella, Homo, Fatum, Virtus, &c. Magno quidem ſale: & omnium virtutum definitiones ibi ſunt delineatę, & judices omnium virtutum ſedile habent, hoc eſt tribunal,

Leges. Iudiciũ.

D qui-

quilibet ſub ea columna, in qua virtutis, cujus ſunt Iudices, definitio extat: & cum judicat ibi ſedet dicens, Fili tu peccaſti contra hanc ſacram definitionem, beneficientiæ, vel magnanimitatis, vel, &c. Lege, ac habita diſcuſſione, condemnat ipſum ad pœnam, cujus eſt reus, videl. maleficientię, abjectionis, ſuperbiæ, vel ingratitudinis, vel pigritię, &c. Condemnationes autem ſunt certæ veræque medicinæ, & quidem ſuavitatem redolentis magis, quam pœnam.

De ſacerdotibus & Religione, ſacrificio, & oratione.

HOSP. Iam te dicere oportet de Sacerdotibus, ſacrificiis, & Religione, ac fide ipſorum.

GEN. Summus Sacerdos eſt ipſe O & omnes Magiſtratus, at primiores tantum, eorum munus eſt conſcientias expurgare. Itaque univerſa Civitas clancularia confeſſione, qua utimur & nos, peccata ſua pandunt magiſtratibus, qui ſimul purgēt animas, ac addiſcant quæ peccata graſſentur in populo. Deinde ipſi Magiſtratus ſacri confitentur peccatia propria tribus Principibus ſupremis, & confitentur ſimul aliena: neminem tamen nominando, ſed confuſe, præſertim

gra-

graviora, & noxia Reip. Ipsi tandem tresviri eadem peccata ac propria simul confitentur ipsi ☉, qui proinde agnoscit, quæ peccatorum genera grassantur in Civitate, & succurrit opportunis remediis. Tunc offert sacrificium Deo, & preces: ac prius confitetur peccata totius Populi coram Deo, publice in templo super altari, quotiescunque necesse fuerit correctione, neminem tamen peccatorem ex nomine declarando. Itaque absolvit populum commonendo ut caveat ab hujusmodi criminibus: deinde sacrificium offert Deo, ut Civitati condonet, & ipsam à peccatis absolvat, & doceat, & defendat: semel in anno quoque Principes supremi singularum Civitatum subditorum quisque suorum fatentur peccata coram ☉. Vnde nec mala provinciæ ignorat, & humanis, & cœlestibus remediis, proinde consulit omnibus, &c.

Sacrificium est hujusmodi. ☉ interrogat populum, quisnam ex eis velit se sacrificium Deo dare pro membris suis, & qui sanctior est seipsum offert. Tunc super quarta tabula ce-

remoniis & precibus prælibatis ponitur, quæ nimirum per fibulas quatuor funibus quatuor alligata, pendentibus ex quatuor trochleis testitudinis parvæ, & clamant ad Deum misericordiarum, ut acceptum habeat sacrificium illud humanum voluntarium, non ferinum involuntarium, quod Gentiles faciunt: mox funes trahi jubet O, sacrificiumque sursum elevatur ad centrum testitudinis parvæ, ac ibi orationibus se dedicat ferventissimis: & cibus subministratur illi per fenestram à Sacerdotibus circum habitantibus, sed parce, donec Civitas expiata fuerit, ipseque oratione & jejunio precatur Deum Cœli, ut spontaneum acceptet sacrificium sui, & post 20. aut 30. dies placata ira Dei, fit sacerdos, aut (sed rarissime) revertitur deorsum, sed exteriorem per viam Sacerdotalem. Et hic vir in posterum honore & benevolentia tractatur multa: eo quod ipse se in mortem obtulit pro patria. Deus autem mortem non vult. Insuper 24. Sacerdotes super templo commorantur, qui in media nocte, & in meridie, & in mane, & in vesperi,

peri, quater videlicet in die psalmos canunt coram Deo, eorumque munus est inspectare stellas & Astrolabiis earum motus notare & effectus in res humanas, & vires pernosse. Idcirco norunt in qua Regione orbis quęnam fuerit mutatio, aut futura sit, & in quo tempore, & mittunt exploratum si ita se res habeat, & notant prædictiones veras, & falsas, ut possit ex experientia rectissime prædicere. Hi decernunt horas generationis, & dies sationis, & messis, & vindemiæ, ac sunt veluti internuncii, & intercessores, & copula inter Deum, & homines, & ex his ut plurimum sufficiuntur O: scribunt præclara & scientias investigant. Deorsum non descendunt nisi ad prandium, & cœnam, uti spiritus ex capite ad ventriculum & jecur: mulieribus non commiscentur, nisi raro ob corporis medicinam. singulis diebus O ascendit ad illos, & ratiocinatur cum eis de his quæ noviter investigaverunt in beneficium Civitatis, & omnium mundi nationum.

In templo inferne perpetuo unus de populo adsistit orans coram alta-

ri, & alius singulis horis sibi succedit, sicut nos consuevimus in supplicatione solemni quadraginta horarum, & hunc orandi modum vocant juge sacrificium. Post refectionem referunt gratias Deo in Musica. Deinde canuntur gesta heroum Christianorum, & Hebræorum, & Gentilium, & omnium nationum, & hoc delitiosum est illis. Nemini quippe invident. Canuntur hymni de Amore, de Sapientia, & de omni virtute sub Magisterio Regis sui Assumit quilibet quam magis amat mulierem, & chorea exercentur honesta formosaque sub peristiliis. Mulieres gestant prolixos capillos consertos collectosque in nodum unum omnes in capitis coronide eductos, tamen in contextum cincinnum unum: homines vero unum modo cincinnũ attonsis circum reliquis crinibus, unum velum, & unum desuper Capucinum rotundum parum excedens capitis formam. Pileis in campestribus utuntur, domi vero biretis albis, aut rubris, aut variis juxta artem aut ministeriũ quisque suum, Magistratus vero grandi-

De festis diebus

uscu-

usculis & pomposioribus. Ipsorum festivitates magnæ sunt, quando sol quatuor mūdi cardines intrat, hoc est in Cancrū, in Librā, in Capricornū, & Arietem, & doctas formosasq; exhibent actiones, quasi comicas, & singulis plenilunijs, & novilunijs, festum celebrant: & in diebus quando Civitatem fundaverunt aut victorias reportaverunt, aut, &c. & cum musica vocum fœminearū, & cum tubis & tympanis, & bombardis. Ac Poëtæ canunt laudes præclariorum ducum & victorias. Veruntamen qui mentitur, etiam in alterius hærois laudem, punitur. Non potest poëtę munus exercere, qui mendaciter fingit, hancque licentiā judicāt esse orbis humani perniciē: eo quod auferat præmiū virtutibus, ac alijs præbeat sæpe vitiosis, ex metu, vel adolatione, ābitione & avaritia. In nullius gloriā erigitur statua, nisi post ejus mortē. Attamē vivens inscribitur in libro hęroū, quicunque invenisset novas artes aut arcana utilissima, vel beneficium ingens sive domi sive militię in Remp. contulerit. Nō humantur corpora defunctorum, sed cremantur, ut pestis

De Poëtarum usu.

non ſuboriatur, & ipſa convertantur in ignem, rem tam nobilem ac vivam, quæ à Sole venit, & ad Solem regreditur. Item & ne idololatriæ detur occaſio. Remanent tamen ſtatuæ ac picturæ Heroum: ipſaque inſpectant formoſæ ſæpe mulieres, generationi dedicatę, à Rep. Orationes fiunt ad quatuor mundi angulos horizontales, & quidem mane ad Ortum Solis, deinde ad Occaſum, deinde ad Auſtrum, deinde ad Septentrionem, è contra in Veſpere primo ad Occaſum, deinde ad Orientem, deinde ad Septentrionem, & deinde ad Auſtrum, & replicant unum modo carmen, quo poſtulant corpus ſanum & mentem ſanam ſibi ipſis: omnibuſque gentibus, & beatitudinem: & concludunt, veluti Deo videtur optimum! Cæterum Publica oratio prolixa eſt: & in Cœlum effunditur. Idcirco altare rotundum eſt, & ad angulos rectos decuſſatim diviſum interviis, per quas O intrat, poſt quatuor repetitiones, ac rogat ſuſpiciendo Cœlum: hoc illis obſervatur ut myſterium magnum. veſtimenta Pontificalia ſunt formoſitatis, & ſigni-

De orandi ritu.

nificationis instar Aaronis. Imitantur naturam, & mirificant artem.

Tempora partiuntur juxta annum tropicum, non autem sidereum: sed quotannis votant quantum temporis illud anticipet istud. Optinantur solem perpetuo deorsum appropinquare: ideoque peragrando circulos angustiores pervenit hoc anno ad Tropicos & Æquinoctia, antequam præterito: aut videtur pervenire eo quod oculus humiliorem cernendo ipsum in obliquo, prius quoque pervenire ac obliquare conspicit. menses lunari metiuntur cursu, annum vero solari. Ideoque hunc illi non concordant usque ad 19. annum, quando etiam caput Draconis suum perficit cursum. Qua de re novam condiderunt Astronomiam. Laudant Ptolomeum, admirantur Copernicum: & si Aristarcum ac Philolaum ante illum. Sed dicunt alterum motuum notare calculis: alterum fabis: neminem vero ipsis rebus numeratis mensisque. ac satisfacere mundo in moneta, significatoria, & non reali. Idcirco ipsi summo conatu hoc negocium perscrutantur, necessarium e-

De Astronomia in sacris temporibus civilibus.

nim ęst valde ad cognoſcēdam mundi conſtructionem, & fabricam: & num periturus ſit, necne, & quando. & prorſus verum eſſe credunt. IESV CHRISTI ORACVLVM, deſignis in ſole, & luna, & ſtellis: quæ ſtultis noſtrārum multis non ita apparent: quos mundi interitus ſicut fur in nocte comprehendet. Ergo expectant illi ſeculi renovationem, forte & finem. Ajunt dubitationis plenum eſſe num factus ſit mundus ex nihilo, aut ex ruinis aliorum Mundorū, aut ex Chao, ſed veriſimile exiſtimant, imo certum quod factus fuerit, & nō ab æterno. Idcirco valde in hoc Ariſtotelem oderunt, quem Logicum appellant, non philoſophum. Et ex anomaliis rationes contra æternitatem eliciunt plurimas, Solem & ſtellas tanquam res viventes ac ſtatuas Dei, & Templa, Altariaque cœleſtia viva, honorant, non autem adorant. Præ cunctis vero venerantur Solem. At Creaturam nullam latrię adoratione dignantur, hanc ſoli Dei exhibent: ideoque illi ſoli ſerviunt, ne incidant in Tyrannidem & miſeriam ſerviendo Creaturis in pœnam Talionis.

onis.

onis. Et sub solis signo Deum contemplantur, & cognoscunt, illumque vocant insigne Dei, vultum, & statuam vivam, per quam lux, calor, vita, & rerum productio in inferiora defluit, & omnia bona. Idcirco altare instar solis exstructum est. & sacerdotes Deum in sole adorāt & in stellis tanquam altaribus, & in cælo tanquam templo, & implorant bonos Angelos tanquam intercessores, qui morantur in stellis, vivis domiciliis ipsorum. Nam & pulchritudines suas longe magis ostentasse Deum in Cœlo, & in Sole suo tropheo, ac statua, fatentur. Negant excentricos & epicyclos Ptolemaicos, & Copernicianos. Asserunt unum esse modo Cœlum, Planetasque à seipsis moveri, & elevari, quando soli appropinquant & conjunguntur. Ideoque & pigrius in ampliori circulo ad anteriora ferri: quorsum omnes ire cōtendunt: cum vero apponuntur soli, paulatim inclinari ad recipiendā lucem ab eo, & breviorem curriculum assumere, quia terræ propinquiores sunt, itaq; & celerius in anteriora ferri, & quādo ęquali velocitate cū fixis

gradiuntur, dici ſtationarios, quando celeriori, retrogrados ſecundum vulgares Aſtronomos; quando pigriori, directos ob majorem lucem, quam excipiunt, elevanturque &c. nam ex quadraturis, & in oppoſitionibus humiliari, ut ab illo non elongentur. Lunam vero & in oppoſitione, nedum in cōjunctione elevari, eo quod ſub ſole ſit. Itaque ſtellas omnes quamvis ab ortu in occaſum ferantur, videri è contra moveri: quoniam ſtellarum Cælum velociter convolvitur *totum in 24. horis. Ipſæ*que non ita velociter, ſed relinquuntur in itinere: propptereaque preventas à Cœlo, videri retrorſum cieri. Lunam tamen nobis citimam, non videri in oppoſitione, & conjunctione retrorſum currere unquam, ſed parum modo in anteriora tunc præferri quando lumine multo, aut ſuperne, aut inferne repletur. Nam primum Cœlum eſt tantæ velocitatis præ ipſa, quod non videri poteſt in anteriori ita ferri, ut excedat grad. 13. quibus ab illo deficit: ergo nec retrocedere: ſed ſolum tardari, aut accelerari ante & retro, unde patet

Epi-

Epicyclos, & excentricos non requirere, ut eleventur, & deprimantur, & repedent, & pigrefcant. Profecto hoc affirmant fidera errantia in certis mundi partibus fympathiam nancifci cum rebus fupernatibus. ac ibi immorari propterea magis: ideoque dici in abfidem erigi. Porro quare Sol in Septentrionali plaga plus immoretur quam in Auftrali, Phyficam reddunt caufam, videlicet ibi elevari ad terram comburendam ubi ipfa vires plures fortita eft dum ipfe excurfitavit in meridiem, quando ortus eft fimul cum mundo. Quapropter in Autumno noftro & vere Auftralis plagæ mundũ incepiffe afferunt, cum Chaldęis, & Hebræis antiquioribus & non ficut recentiores opinantur. Itaque elevatus, ut reficiat quod amiferat, plures immoratur in Septentrione, quam in Auftro, dies, ac in excentricum fcandere videtur: cum hoc tamen incerti funt an fol fit cẽtrum inferioris mundi & an fixa fint aliorum centra planetarum, & an planetę aliis lunis, ficut tellus noftra, ambiantur, fed invigilant adhuc inveftigationi hujus veritatis.

Duo

De Phy-sica.

Duo autem principia Physica rerum inferiorum asseiunt. scilicet solem patrem, & tellurem matrem. Aerem vero esse portionem cœli impuram: ignemque omnem à sole derivari. Mare autem sudorem esse Telluris, vel fluorem combustæ fusęque Terræ in visceribus: ac vinculũ aëris atque Terræ, sicuti sanguis spirituum, & corporis animalium. Mundum animal esse ingens. Nosque in ejus ventre vivere, sicuti vermes in ventre nostro. Idcirco non pertinere nos ad stellarũ, & solis & Terrę providentiam, sed Dei tantum: quoniam respectu illorum aliud intendentium nihil, quam sui amplificationem, casu nati sumus, & vivimus: respectu vero Dei, cujus illi sunt instrumenta, præscientia, & ordine conditi sumus & ad finem magnum destinati. Idcirco soli Deo obligati sumus ut Patri, & omnia ab eo recognoscere tenemur. Proculdubio credunt immortalitatem animarũ: hasque post mortem associari Angelis probis, aut pravis, prout illis, aut his in actibus præsentis vitę sese similiores reddiderunt. Omnia enim sibi similia petere.

tere. De locis pœnarũ, & præmiorum parum à nobis discrepant. In ancipiti versantur, nũ alii mundi extra nostrũ sint, ac furioris esse arbitrãtur asserere, nihil esse: quoniam inquiunt, nihil neque intus neque extra mundũ est. Deus quę ens infinitũ non cõpatitur secum nihilũ. infinitũ tamen corporeum dari negãt. Principia metaphysica duo ponũt, ens scil, qui Deus est summus, & nihilũ quod est defectus entitatis, & Terminus à quo fit aliquid physice, nõ enim fit quod est, ergo non erat quod fit: Item ex Nihilo & ente illis essentiatur metaphysice finitũ ens. Item à propensione ad nõ esse nasci malum, ac peccatum. Et peccatum habere causam deficientem, sed non efficientem. Deficientem autem intelligunt defectum potentiæ, vel sapientiæ, vel voluntatis. In hoc ultimo ponunt peccatum: qui enim scit ac potest benefacere, debet etiam velle: voluntas enim ab illis nascitur, & non è converso. hic stupere est, quod & ipsi Deum adorant in Trinitate, dicentes, Deum esse summam potentiam, & ab hac procedere

De Metaphysica.

dere ſummam ſapientiam, quæ ſimul itidem Deus eſt, & ab ipſis Amorem: qui & poteſtas, & ſapientia eſt; neque enim procedens non habeat naturam ejus à quo procedit & non recedit. Verumtamen non agnoſcunt perſonas diſtinctas nominatas, ut in lege noſtra Chriſtiana; eo quod careant revelatione: ſed norunt in Deo eſſe proceſſionem & relationem ſui, ad ſe, in ſe, & à ſe. Itaque omnia entia eſſentiatur eis metaphyſice quidem ex Potentia, ſapientia, & Amore, in quantum habent eſſe; & ex Impotentia, Inſipientia, & Diſamore, in quantum participant non eſſe: & per illas merentur, & per has peccant, aut peccato naturę ex primis duobus: aut moris, & artis, in totis tribus, vel in tertio. Quippe & natura particularis peccat ex impotentia aut ignorātia faciendo monſtrū. Cæterum hæc omnia à Deo omnis nihilitatis experte, præcognoſcuntur, & ordinantur tanquam à potentiſſimo, ſapientiſſimo, & optimo. Quare in Deo ens nullum peccat, extra Deum peccat. At extra Deum non itur, niſi nobis & reſpectu noſtri, non autem

ſibi, & reſpectu ſui. Namque in nobis eſt deficientia, in ipſo vero efficientia. Idcirco peccatum actus Dei eſt in quantum entitatem & efficientiam habet. At in quantum habet non entitatem & deficientiam, in qua conſiſtit quidditas ipſius peccati, eſt in nobis, & à nobis: qui ad non eſſe per deordinationem declinamus.

HOSP. Pape quam arguti ſunt.

GEN. Profecto ſi memoria tenuiſſem: & cura diſcedendi non ſollicitaret, & metu, mirabilia profunderem: at Navim amitto niſi propere diſceſſero.

HOSP. Per fidem rogo, hoc unum ne cæles, quid dicunt de peccato Adę?

GEN. Ipſi plane confitentur multam in orbe corruptelam graſſari: hominesque regi non veris ſuperioribus rationibus, probos cruciari, & male audire, pravos dominari; quamvis infœlicitatem vocent horum vitam beatam: Nam annihilatio quædam eſt, ac oſtenſio eſſendi quod non ſunt, videl. Reges, ſapientes, ſtrenui, Sancti, quod in veritate non ſunt: ex quo

De cauſa mundanorum malorũ.

quo argumentantur magnam in rebus humanis ex quopiam accidenti perturbationem subortam esse. Et primo quasi eo pendebant, ut dicerent, cum Platone, orbes cœlestes in priscis sæculis revolutos esse ab occasu præsenti eo, ubi nunc orientem dicimus: ac postea contrarium assumpsisse cursum. Dixere etiam possibile fuisse: ab aliquo inferiori numine res inferiores regi atque à primo numine sic permitti: sed hoc assertū stultum reputant. Ac stultius, quod Saturnus primo bene regnarit, ac deinde Iovem minus bene. deinde vero cæteros successisse planetas: quamvis fateantur mundi ætates ordinari secundum seriem planetarum. Creduntque ex absidum mutationibus post 1000. annos, aut 1600. res variari insigniter.

Hanc nostram ætatem assignandā videri Mercurio, tametsi à magnis conjunctionibus intervarietur; & Anomaliarum regressus fatalem vim possideant. Demum affirmant hominem Christianum esse fœlicem, qui credere contentatur, quod ex peccato Adæ tanta contigerit perturbatio;

Opi-

Opinãtur etiam ex patribus derivari in filios potius pænę malũ quã culpæ.

A filiis autem ad patres culpam reverti, quatenus neglexerunt generationem, & celebrarunt ipſam præter tempus, & locum, & electionem genitorum, aut educationem neglexerunt, aut prave Natos docuerunt, inſtruxeruntque. Idcirco ipſi ſedulam navant operam generationi, & educationi, & ajunt pœnam ac culpam redundare in Remp. tam filiorum quam parentum: Idcirco omnes hoc tempore in miſeriis verſari Civitates: & quod pejus eſt, vocare pacem & beatitatem ipſa mala quoniam bona non ſunt experti: viderique mundum caſu regi. At vero qui conſtructionem mundi contuetur, & hominis anatomiam (quam ipſi in condemnatis ad necem experiuntur ſæpe) & Planetarum & belluarum, & uſus partiũ ac particularũ earundem, cogitur Dei ſapientiã ac providentiam altis acclamationibus confiteri. Itaque debere hominem Religioni ſe totum dare, propriumque auctorem venerari ſemper. hoc autem non bene perficere poſſe vel non

facile

facile, nisi qui Dei opera perquirit, & pernoscit, ejusque observat Leges; & probe philosophatus in operibus suis, *Quod tibi non vis alteri ne feceris: & quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Vnde sequitur quod sicuti nos à filiis, & ab hominibus requirimus honorem & bona, quibus parum elargimur, plura nos debeamus Deo, à quo totum recipimus, totum sumus, & ubique in eo, laus illi in sæcula.

HOSP. Profecto cum hi, qui naturæ tantum legem norunt tantopere propinquent Christianismo, qui nihil addit supra leges naturę, nisi Sacramenta conferentia auxilium ad observantiam illorum, ego argumentum validum sumo mihi pro Religione Christiana, quod sit omnium verissima, quodque sublatis abusionibus Domina sit futura in toto Terrarum orbe, ut preclariores Theologi docent, & sperant. Ajuntque idcirco Hispanos novum Orbem invenisse (quamvis inventor primus sit Columbus maximus heroum noster Genuensis) ut omnes nationes in unam legem congregentur. Ergo hi

hi philoſophi erunt teſtes veritatis, electi à Deo. Hinc agnoſco nos neſcire quid agamus : ſed eſſe Dei inſtrumenta. illi cupiditate auri & divitiarum, novas queritant Regiones : Deus autem finem altiorem intendit. Sol Terram exurare contendit, non quidem producere plantas, & homines, &c. ſed Deus vivitur ipſorum pugna ad horum productionem. Ipſi laus & gloria.

GEN. O ſi ſcires quid per Aſtrologiam dicunt, & ex noſtris quoque Prophetis, de ſæculo venturo, & quod ſæculum noſtrum plus hiſtoriæ habet, in annis centum, quam Mundus totus in 4000 pluresque libri editi ſunt in hoc centenario, quam in 5000. & de inventione mirifica Typographiæ, Archibugiorum, & uſus magnatis : præclaris ſignis, ſimulque organis congregationis Mudigenarum in unum ovile, & qualiter dum fiebant Synodus magnæ in trigono Cancri, abſide Mercurii Scorpionem procurrente, Hæ mirabiles inventiones acciderunt à Luna & Marte, potentibus in hoc trigono ad navigationem novam novaque Regna, & ar-

& arma nova. At cum mox intraverit Saturni absis in Capricornum, & Mercurii, in Sagittarium, & Martis in Virginem post primas Synodos magnas & visionem novæ stellæ in Cassiopea, Monarchia nova insurget: & reformatio legum, artium, & Prophetę: & renovatio, & ajunt nationi Sanctæ molumentum magnum inde portendi. At prius quidem evelli, & extirpari, deinde ædificari, & plantari &c. dimitte me, quoniam habeo, quæ agenda mihi sunt. Hoc tamen non te lateat, eos jam invenisse artem volandi, quæ una mundo deesse videbatur, & in proximo ocularia expectare: quibus occultę stellæ videantur, & auricularia, quibus cœli audiatur harmonia.

HOSP. Hem? ah, ah, ah, perplacet quidem, sed Cancer est signum Veneris fœmineum & Lunæ, quid potuit benefacere in aere, cum sit aqueum? & quomodo stellæ hæc sciunt faciuntque: Omnia sunt à Deo suis dispensata temporibus. Nimis Astrologizant.

GEN. Hæc etiam mihi responderunt,

runt; rerum omnium causam esse Deum universalem immediate, non immediatione particularis causæ sed universali, principii & virtutis: non enim Deus manducat cum Petrus manducat, nec mingit, nec furatur: licet essentiam & virtutem det manducandi, mingendi, & accipiendi, ut causa immediata qua nulla prior, sed qua omnis alia particularior, modificans immensitatem actionis divinę. HOSP. O quam bene iidem dicunt Doctores nostri scholastici, pręcipue Divus Thom. contra Philosophos Mahometanos, asserentes operationem primę causæ immediatiorem in attingentia quàm secundæ, in 3. con. Gen. cap. 70. & 2. dist. 37. & pot. q. 1. art, 3, & 5. & opusc. 9. q. 38. ubi immediatione principii non attingentiæ, cujusmodi est particularis causa, docet agere universalem. sequere. GEN. Igitur ajunt, Deus dedit causas omnibus futuris effectibus & universales & particulares operari non possunt, nisi & universales operentur. Non enim Planta floret nisi Sol propinque calefaciat. Tempora autem ab universalibus

sunt

ſunt cauſis : Scil. à cœleſtibus, omnia ergo Cœlo operante operamur. Cauſę autem liberæ utuntur tempore, & in ſe, & erga alia interdum. Nam & igne cogit homo florere arbores, & Lucerna illuſtrat domum, abſente Sole: Cauſę vero naturales aguntur tempore. Igitur quemadmodum alia fiunt de die, alia de nocte, alia in hyeme, alia in æſtate, vel vere, vel Autumno, tam per cauſas liberas quam per naturales, ita & alia in uno ſæculo, alia in alio. Et ſicut cauſa libera non cogitur dormire quando fit nox, nec ſurgere quando mane, ſed operatur ex ſuo commodo, ſic utendo vicibus temporum: ita neque cogitur invenire Archibugia & Typographiam cum fiunt ſynodi magnæ in Cancro, & Monarchias cum in Ariete, & ſic de cæteris: cum ſeminat in Septembri, cum putant in Martio, &c. Nec poſſunt credere quod Pontifex ſapientiſſimorum Chriſtianorum prohibeat Aſtrologiam niſi contra abutentes ad divinandum actus liberarbitrii & ſupernaturales eventus, cum ſidera ſupernaturalium ſint tantum ſigna, natura-

turalium vero causæ universales; voluntariorum solum occasiones invitamenta, & inclinationes. Nec enim Oriens sol cogit nos surgere de lecto, sed invitat & commoda præstat, uti nox incommoda ad surgendum & commoda ad dormiendum. Cum ergo agant in liberum arbitrium indirecte & per accidens dum agunt in corpus & in sensum corporatum corporalisque organo affixum: Mens excitatur à sensu in amorem vel odium vel iram & cæteras passiones. Et tunc potest adhuc excitatæ passioni assentire & dissentire: Hæreses ergo & bella & fames, quæ significantur per sidera, plerumque veniunt, quoniam plerumque homines à sensuali appetitu potius quam à ratione Regi se permittunt, unde faciunt hæc que accidunt contra rationem. Aliquando etiam assentientes passioni rationabiliter, ut justam iram concipiendo justum bellum moliuntur. HOSP. Bene quidem & hoc etiam D. Thom. asserit: & Pontifex noster. Nam ad Medicinam & Agriculturam & navigatoriam concedit Astrologiam, & cum omnibus

Idem D Thom. p.p.& 3. Con. 5.

E suis

ſuis ſcholaſticis qui de actibus arbitriis etiam conjecturalia prognoſtica permittunt: verum excreſcente malitia, & abuſu permiſſionis vetant non conjecturas, ſed prognoſticum conjecturale, non ut ſemper falſa, ſed ut plerumque vel ſemper periculoſa. Principes enim & Populi in Aſtrologia confiſi mala innumera moliuntur, & bona aggrediuntur non ſucceſſura, ſicuti patet in Arbace, Agatocle, Druſo, Archelao, & tandem conſimilia expectamus in aliquo duce *Phinlandiæ* propter Ticonis prognoſticon, & in Pontifices noſtros multa audent Principes his in conjecturis confiſi à nebulonibus decepti.

GEN. Sic etiam ſolares ajunt alia prohiberi ut falſa, alia ut periculoſa, quatenus ad idololatriam aut ad deſtruendam libertatem aut ad Politicam conturbandam poſſunt converti. Imo dico tibi invenere jam Solares rationem fati ſiderales vitandi, neque enim ars datur à Deo niſi ad utilitatem. Quando igitur imminet Eclipſis non ſalubris, qualis eſt cum interregnant beneficæ, ſed infauſta cum

cum maleficæ, vel Cometes dirus, vel directio prava in aphetico loco; illum cui malum minantur sidera, intra ædes albas claudunt, odoribus & aceto roseo consperſas: accendunt faces ſeptem ex cera aromatis confecta, ædificatas, & adhibent jovialem muſicam, & lætas converſationes ut ſemina peſtilentialia per circunfuſum aerem à Cœlo dimiſſa diſſolvantur. HOSP. Pape! medicinalia ſunt hæc omnia & ſapienter applicata: Cœlum enim corporaliter agit, & corporalibus impeditur antidotis, ſed obſtat numerus Candelarum quaſi in numero ponatur virtus, quod olet ſuperſtitionem.

GEN. Profecto ipſi ſe ſe tuentur Pythagorica doctrina de viribus numerorum neſcio an ſuperſtitioſe; nec in ſolo numero, ſed in Medicina cum numero fundantur.

HOSP. Nulla ſuperſtitio nullus enim Canon nec ſcriptura Dei vim numerorum damnavit: Imo Medici utuntur ipſa in morborum periodis & criſibus. Et ſcriptum eſt; quod *omnia Deus fecit in numero, pondere, & menſura*, & in ſeptem diebus crea-

tionis mundi, in ſeptem Angelis tuba canentibus, in ſeptem fialis, in ſeptem tonitruis, ſeptem candelabris, ſeptem ſigillis, ſeptem Sacramentis, ſeptem donis ſpiritus, ſeptem oculis in lapide Zachariæ numerorum myſteria commendantur. Vnde S. Auguſt. S. Hilarius, & Origenes quam multa de numerorum viribus Philoſophantur, præſertim de Septenario. Non ergo damnarem ex hoc Solares ex quo ſe medicos cœleſtium & defenſores arbitrii demonſtrant.

Judices fuerunt P. Tontolus & M. Io. Bapt. Marinus.

Imitantur enim Cœlum in ſeptem planetis per 7. faces, ſicut Moyſes per 7. Lucernas, & Romæ judicatum eſt non eſſe ſuperſtitionem niſi ubi ſolis numeris & non rebus numeratis datur vis, quæ debetur Deo, & in quo non habent uſum & vim. Sic qui Cœlo aut herbis ubi nil operantur, tanquam ſi operentur, utitur: Eſt enim vana obſervantia quam Diabolus Dei ſimius imitatur Deum numerum authorem. Et numero impare gaudet apud Virg. Imo cum vis naturalis Rebarbari datur Agarico, per ignorantiam non eſt ſuperſtitio; Sed ſi virtus Dei detur

tur Agarico, vel numero, ſuperſtitio eſt: Vide Theol. Nunc proſequere ſermonem unde digreſſi ſumus. GEN. Igitur Solares fæminina ſigna fæcunditatem Regionibus, quibus fęminina ſunt adducere putāt, & minus robuſtis dominatū rebus afferre inferioribus: cauſando occaſionādo, cōmoditates & incommoditates præbendo aliis, aliis auferendo: ut dictū eſt. Vnde ſcimus in hoc ſæculo muliebre Regnū prævaluiſſe, ſicuti Amazones novæ inter Nubiā & Monopotapam & apud Europæos regnavit Ruſſa in Turchia: Bona in Polonia: Maria in Vngaria: Elizabeth in Anglia: Catharina in Gallia: Blanca in Etruria: Margarita in Belgio; Maria in Scotia; Iſabella in Hiſpania, inventrix novi Orbis, & Poeta hujus ſæculi à mulieribus orditur.

Le donne, i Cavalier, l'arme, & gli amori, & quidem maledici poetæ, & hæretici graſſantur, ob Martis trigonum, & hoſpitium Mercurii Apogeo præſtitum; & ob Venerem & Lunam loquūtur ſemper de re meretricia, & Pathica, & viri omnes effœminari cupiunt in ſexu, & voce: nam vocantur

tur Vossignoria. Et in Africa ubi Cancer & Scorpio prævalet præter Amazonas extant in Fez & in Marocco lupanaria publica effœminatorum, aliæque spurcitiæ innumeræ, ad quas temperies mundialis invitat, non cogit. Non tamen ideo trigonus Cancri (quia Tropicus est, & exaltatio Iovis & Apogeum Solis & Martis triplicitas) veluti per Lunam & Martem, & Venerem novam inventionem hemisphcrii exhibuit, ac mirum circumeundi totum Orbem iter, & muliebre imperium & per Mercurium & Martem Typographiam & Archibugium, non etiam in causa fuit potius occasio hominibus, ut fiat magna legum mutatio, sub providentia Dei semper ad bonum inclinantis: nisi nos inclinationem pervertamus. Hic mihi dixerunt mirifica de consensu cœlestium cum terrestribus: & moralibus, & de Christianę legis amplificationein novum Orbem, & de ejus permanentia in Italia & Hispania. Et de vacillatione in Boreali Germania, Anglia, Scandinavia, Pannonia: quarũ prognostica nec recitare volo, quoniam

sapi-

ſapientiſſ. Papa noſter juſtis de cauſis vetuit. At nec de Xeriſi, & Sofii mutationibus in Africa & Perſide quo tempore VViclef, & Vs, & Lutherus Religionem labefactarunt apud nos, & Minimi ac Cappuccini illuſtrarunt: & quomodo eadem Cœli motione alii utuntur in bonum: alii abutuntur in malum: quamvis hęreſis inter opera Carnis ab Apoſtolo memoretur, ac proinde paſſionibus ſenſui illatis à ♂ ♄ & ♀ ob ſubjectam ſponte voluntatem. Hoc tamen narrabo quod Solares jam artem volandi invenere, aliaſque artes ex Lunæ & Mercurii conſtitutione, adjuvante Solis abſide. Nam in aëre hæ poſſunt ſtellę ad artem volādi: etenim quod aqueum in Regionibus noſtris ac natans, ſub æquatore eſt aereum ac volitans ob ſitum terræ ad Cœlum apricum magis. Namque novam condidere quidem Aſtronomiam, ut in altero hemiſpherio ab æquatore ad Auſtrum Domus Solis ſit Aquarius, Lunæ Capricornus, &c. Et omnia ſigna & poteſtates invertunt: & ſub æquatore intra Tropicos aliter ſigna nominantur & aliter planetis

diſtribuuntur quam extra; & quam in ſuppolaribus. Et ita neceſſe eſt ex vi naturæ. Evax. ecquantum didici ab his ſapientibus de mutationibus Abſidum, & excentricitatum, & obliquitatis, æquinoctiorum, & ſolſtitiorum & Polorum & figurarũ Cœleſtium confuſione in ſpatio immenſo mundi machina nutante, & de Symbolis rerum noſtrarum cum eis, quæ ſunt extra mundum noſtrũ. Et quantum mutationis ſequatur poſt ſynodum magnam in Ariete & Libra ſignis æquinoctialibus in reſtauratione Anomaliarum quæ ſtuporis plena ſequantur poſt magnam conjuctionem in confirmatione decreti ejus & mutatione, & renovatione Orbis. Sed tu quæſo, ne me amplius detineas: facienda reſtant multa: & ſcis, quibus ſollicitor curis. Alias. Hoc tamen non omittam quod ipſi libertatem humanam prorſus adſtruunt & dicunt, quod ſi quadraginta horę, quibus cruciatus eſt Philoſophus magnus inter eos ab hoſtibus, crudeliſſime, non potuere illum cogere ad confitendum ne verbulum quidem de his quæ requirebant, eo quod ſilere

re ſtatuerat ex animo; nec ſtellas ergo, quæ à longe & ſuaviter movent, poſſe cogere nos ad operandum cõtra decretum noſtrum, nec Dei decreto cogente nos regi: quoniam homo eſt adeo liber quod etiam blaſphemat Deum. Deus autem nec ſe ipſe, nec alios cogit adverſum ſe. Nunquid diviſus eſt Deus? At quia in ſenſum mutationem inſenſibilem, ſuavemque faciunt aſtra, qui plus ſenſum quam rationem ſectatur divinam eis ſubjugari. Nam & conſtellatio; quæ de hereticorum cadaveroſa mente vapores fœtidos eduxit, eadem eodem in tempore ex fundatoribus Ieſuitæ Religionis, & Minorum, & Capuccinorum, exhalationes fragantes virtutem eduxit. Et ſub eadem Columbus & Corteſius divinam in altero hemiſpherio Chriſti Religionem propagavit.

Quæ autem mundo nunc imminent plurima, alio in ſermone complebo tibi.

HOSP. Hoc ſaltem refer, qua ratione movent naves abſque vento & remigio?

GEN. Flabello ſuper puppim edificato

ficato amplo, quod desinit in pertica una: ad quam pondus appensum facit æquilibrium, ita quod unus puer una manu potest elevare, & deprimere. In principio autem alæ magnę, axis supra duas furcas illud sustinet facile volubilis. Præterea quædam navigia movent rotis duabus in aqua giratis per funes quæ de rota magna, supra proram posita, decurrunt, & decussatim cingunt rotas puppis. Rotam magnam facili negotio convolvunt, quæ parvas in aquam impositas trahit, sicuti accidit in organo, quo mulieres Calabrę & Gallę filum advolvunt, parant, aut nent.

HOSP. Expecta, Expecta modicum, &c.

GEN. Non licet, non licet.


FINIS.

NOVA
ATLANTIS
PER
FRANCISCUM BACONUM,
Baronem de Verulamio,
Vice-Comitem *S. Albani.*



VLTRAIECTI.

Apud *Ioannem à VVaesberge,*
Anno cIↄ Iↄ c XLIII.



LECTORI S.


FAbulam hanc Novæ Atlantidis *eo animo cōfinxit Honoratissimus Auctor, ut in ea Modulum quendam & Descriptionem Collegii, ad Interpretationem Naturæ, & Operum Magnitudinem ac Potentiam, instituti, exhiberet: Idque nomine* Domus Salomonis, *sive Collegii Operum sex Dierum, insigniret. Atque eo usque Sermonis Filum produxit, donec hoc conficeret. Modulus, (fateor,) pro more Poetices, grandior & celsior est, quàm qui, in omnibus, Imitationi pateat; Veruntamen, in ple-*

risque, Industria Hominum sibi non diffidat. In animo etiam habuit, hac ipsa in Fabula, Librum de Legibus, sive de optimo Civitatis statu, exarasse; Sed cum Opus hoc prolixum futurum praevideret; Nec-non Historiae Naturalis colligendae, aliarumque Instaurationis Partium contexendarum, (quas longe potiores duxit,) desiderio abriperetur; Hic pedem fixit. Haec habui in Mandatis; Lege, & Vale.

GUIL. RAVVLEY.

NOVA

NOVA ATLANTIS.

Avigamus è *Peruvia* ubi per Annum integrum cõmorati ſumus: Petebamus autem *Chinã*, & *Iaponiam*; Commeatũ in duodecim Menſes nobiſcum portantes; Atque per ſpatium quinque Menſium, & amplius, Ventis ſecundis ab Ortu flantibus, licet lenioribus & remiſſioribus, uſi ſumus. Tum vero vertit ſe ventus, & ab Occidente, per multos dies, conſtanter ſpiravit; Adeo ut progredi lente admodum poſſemus, atque de Reditu quandoque cogitaremus. Sed tunc rurſus, orti ſunt Auſtri, fortes & vehementes, cum Inclinatione nonnulla in Orientem; Qui nos (quantum fieri potuit) contra nitentes, verſus Septentrionem compulerunt: Quo tempore Commeatus noſter, (etſi parce admodum eum diſtribuiſſemus) penitus abſumptus. Itaque, cum Nos ipſos, in Medio Vaſtiſſimæ, per univerſum Orbem, Aquarum Eremi, poſitos videremus, abſque

Commeatu; perditos nos plane putabamus, & Mortem propinquam expectabamus. Attamen Corda nostra, & Voces, ad *Deum* in *Cœlis* levavimus; *Qui Mirabilia sua in profundis monstrat*; Eum precantes, pro Misericordia sua, ut quemadmodum, in principio, *Congregationes Aquarum* mandavit, & *Aridam* apparere fecerat; Ita nunc quoque Terram Nobis ostenderet, ne periremus. Contigit autem, ut die sequente, sub vesperi, intra modicam distantiam, cerneremus, Septentrionem versus, tanquam Nubes spissa: Quæ Nobis de Terra spem injecerunt, satis gnaris, Tractum illum *Maris Australis*, penitus incognitum fuisse: Atque Insulas, & Continentes, adhuc non detectas, complecti potuisse, Itaque Cursum, tota illa nocte, eo direximus, ubi Terra se, ut conjiciebamus, ostenderat: Atque illucescente die postero, manifestum fuit, id quod videramus, Terram revera fuisse, Depressam quidem & silvosam: Quod eam magis obscuram monstraverat. Atque post Sesqui-Horæ Navigationem, Portum Tu-

tum

tum appulimus: Portum Vrbis cujusnam, non magnæ quidem, sed pulchre extructę, & quæ, ex qua parte Mare spectabat, Elegantiam magnam præ se tulit. Nos vero singula Momenta tarda æstimantes, quibus à Terra abessemus, ad Littus properavimus, Et ad Descensum in Terram nos comparavimus. Confestim autem vidimus, nonnullos ex Populo urbis, cum Bacillis in Manibus, qui nutu & signis, nos in Terram descendere prohibuerunt: Absque tamen Clamoribus, aut Ferocia. Vnde, haud parum contristati, quid faciendum esset, apud Nos deliberabamus. Interim perrexit versus Nos Scapha haud magna, octo circiter Viros vehens, Quorum unus in manu gestabat Baculum ex Arundine lutea, ad utrunque finem cæruleo colore imbutum: Qui Navem nostram fidenter conscendit. Cumque vidisset unum è nostris obviam illi prodeuntem, è sinu extraxit Rotulum quendam Pergamenę, (sed Pergamena nostra paulo flavioris, atque ad instar Foliorum Codicillorum splendentis, alias autem mollis satis

& flexibilis,) Eique in manum dedit, qui primus è nostris se obtulerat. In quo Rotulo, Lingua Hebraica prisca, Greca quoque prisca, Latina satis pura, & Hispanica, scripta erant hæc Verba; *In terram ne descendatis; Nedum quispiam è vestris. Quin & Discessum ab his Oris maturate, intra sexdecim dies, Nisi licentia Vobis diutius morandi concedatur. Interea, si Aqua Vobis opus sit dulci, aut Commeatu, aut Medicina & Curatione pro Ægrotis, aut si Navis vestra reparatione indigeat, singula, quibus caretis, in scriptis exhibite, Nos autem Officiis ullis Misericordiæ Vobis non deerimus.* Rotulus iste, sigillo firmatus erat, ex Alis Cherubim, minime expansis, sed deorsum pendentibus, Et juxta eas cruce. Hoc tradito, Minister ille discessit, & unum ex Famulitio suo nobiscum reliquit, qui Responsum nostrum reportaret. Cum jam apud Nos, de hac re deliberaremus, timidi & anxii hęrebamus. Arceri à Descensu in Terram, & moneri de præpropero nostro Discessu, male nos afflixerunt: Contra, cum videremus, Populum illum Linguas

guas externas callere, tantaque Humanitate præditum esse, consolationi nobis erat non exiguæ: Ante omnia, signum, Crucis Instrumento appositum, singulari gaudio nos affecit, tanquam Salutis Augurium manifestum. Responsum à Nobis est Lingua Hispanica. Navem nostram satis commode se habere, Quandoquidem Malacias, & Ventos contrarios, potius experti essemus, quam Tempestates: Quantum ad Ægrotos nostros, eos plurimos esse, quin & graviter laborantes, Ita ut nisi Descensus in Terram illis permitteretur, de vita periclitarentur. Alia, quibus carebamus, speciatim exhibuimus, Addentes, Adesse nobis Merces pauculas, quas si eis emere placeret, necessitatibus nostris subveniri posse, ne illis oneri essemus. Obtulimus Servo præmium exiguum in Ducatis, & Holoserici Carmosini parcellam, quæ ministro superiori offerretur: Sed ille non accepit, imo vix aspicere sustinuit: Atque ita, in alia parva Scapha, quæ ad eũ missa fuit discessit.

Tribus plus minus Horis elapsis, postquam Servus Reponsum no-

ſtrum accepit, Lembo verſus nos devectus eſt, Vir (ut videbatur) ex Magiſtratibus. Indutus erat Toga cum Manicis amplis, ex Cameloto, Coloris cærulei pulcherrimi, ſplendidioris multo quam nos in Europa habemus: Tunica interior viridis erat; Et ſimiliter Galerus ejus, qui factus erat in Figuram Turbani, eleganter compoſiti, neque prægrandis, qualia ſolent eſſe Turcica; Atque Capillorum ſuorum Cincinni, infra oram Turbani dependebant. Vir ſane aſpectu venerabilis. Vectus eſt in Lembo, aliqua ex parte inaurato, quatuor ſolummodo Viris, in eodem Lembo, comitatus. Alius autem à tergo ſequebatur, in quo erant Viri circiter viginti. Quamprimum intra ſpiculi jactum veniſſet ſignis quibuſdam è Lembo moniti ſumus, ut aliquos è noſtris ad illum mitteremus. Id quod ſtatim fecimus, in Navis noſtrę ſcapha; virum ex noſtris, (uno excepto,) primarium mittentes, & Quatuor cum illo. Cumque circiter ſex Virgatas à Lembo abeſſemus, jubebant ut nos ſiſteremus, nec propius accederemus. Quod & fecimus. Tum

vero

vero vir, quem modo descripsi, in pedes se erexit, & alta voce Hispanice interrogavit; Num Christiani estis? Respondimus; Christianos nos esse: Minus metuentes, quia Signum Crucis in Instrumento illo videramus. Ad quod Responsum, Dexteram ille versus Cælum sustulit, & deinde leniter ad os suum adduxit; Qui Gestus, in usu illis est; cum Deo Gratias agunt. Tunc autem perrexit; Si jurabitis; (Vnusquisque Vestrum;) per Merita Servatoris, Piratas vos non esse: Nec sanguinem Humanum effudisse, sive jure, sive vi, intra spatium quadraginta dierum, ultimo elapsarum, licentiam obtinebitis in Terram descendendi. Respondimus, Paratos nos omnes esse ad illud Iuramentum præstandum. Vnde unus Comitatu ejus, qui videbatur Notarius esse, illud in Scriptum redegit. Quo facto, alter è Comitatu viri illius primarii, qui in eodem Lembo vehebatur, postquam Dominus in aurem ei quidpiam locutus esset, alta voce dixit: Dominus meus, hoc vobis notum esse velit, non ex superbia, aut fastu esse, quo minus Navem

veſtram conſcendat; Sed quia ex Reſponſo veſtro innoteſcit, plurimos inter vos ſe male habere, à Conſervatore ſanitatis in urbe monitus erat, ut ad aliquam diſtantiam colloqueretur. Submiſſo capite nos inclinavimus, & reſpondimus; Servos ejus humillimos nos omnes eſſe; magnoque Honori ducere, & ſingulari ſuæ Humanitati tribuere, id quod jamdudũ factum eſſet: ſed ſperare nos, Morbum illum, quo AEgroti noſtri laborant, contagioſum minime eſſe. Ita *Vir ille primarius* reverſus eſt. Paulo poſt adfuit Notarius, & Navem noſtram conſcendit; in manu ſua, fructum quendam ejus Regionis tenens, Arantio non abſimilem, verum Colore magis in coccineum vergente, qui Odorem ſpirabat ſuaviſſimũ. Illum, (ut videtur, geſtabat, ut ei, contra Contagionem, Antidoti vice eſſet. Exhibuit autem nobis juramentum: Per Ieſum Dei Filium, & Merita ejus, ac deinde nobis dixit, poſtero die, ante Solis exortum, affuturum; qui nos accerſeret, ac ad Domum Peregrinorum perduceret, ubi præſto nobis eſſent, quæcunque neceſ-

necessaria, sive pro AEgrotis, sive pro sanis. Sic à nobis discessit: Cumque ei Aureos aliquos obtulissemus, subridens dixit: se binum salarium, pro una opera, accipere nō debere. Quorum verborum (ut arbitror) is sensus erat, quod salarium è publico, ob operā suam, reciperet. Nam, (ut postea intellexi,) officiariū, qui præmia accipit, hominem bini salarii, vocant.

Postero mane, diluculo, accessit ad nos Minister ille, qui primus, cum Arundine sua, nos adierat; & retulit: se venisse, ut ad Domum Peregrinorum nos deduceret: Se autem horam anticipasse, ut commoditatem integri Diei, ad Negotia nostra haberemus. Si autem, (inquit,) mihi auscultabitis, primo mecum aliquos vestrum mittetis, qui locū circumspiciant, & quomodo optime ad vos recipiendos accōmodari possit, postea autē ægrotos vestros accersetis, & reliquos, quos in Terram descendere vultis. Gratias ei egimus, & diximus, curam hanc, quam pro peregrinis miseris suscepit. Deum pro certo remuneraturum. Itaque sex è nostris eum comitati sunt. Præsit ille, & respiciens

ad

ad Nos, dixit perhumane certe: Se ſervum noſtrum tantummodo commodo eſſe, & viæ Ducem. Duxit autem Nos, per tres Plateas, pulchras admodum: Atque per totam, quam pertranſivimus, viam, haud pauci è populo, ad utrunque Latus, congregati ſunt, ordine ſtantes, Verum more adeo Civili, ut viderentur non tam ad otioſum Spectaculum conveniſſe, quam ut Adventum noſtrum gratularentur. Multi autem ex iis, cum incederemus, Brachia ſua paululum aperuerunt: Quo Geſtu utuntur, cum Adventum alicujus, ſibi gratum eſſe, ſignificare volunt. Domus Peregrinorum, Ædificium eſt ſpecioſum & ſpatioſum, extructum ex Lateribus, noſtris, colore paulo magis purpureis: Cum Feneſtris decoris, aliquibus ex vitro, aliquibus autem ex panno linteo delicato, oleo intincto. Deduxit nos primo in Cœnaculum ſatis elegans, ſuper Gradus locatum: Tunc autem à Nobis quæſivit: Quot numero eſſemus? Et, Quot è noſtris AEgroti? Reſpondimus: Vniverſum numerum, tam Sanorum, quam AEgrotorum, eſſe

ad

unum & quinquaginta Homines: Ex quibus, AEgroti, erant ſeptendecim. Rogavit nos, ut aliquantiſper præſtolaremur, dum ad nos rediret. Quod poſt Horam circiter fecit. Tum vero adduxit ad Cubicula viſenda, quæ Nobis parata erant, numera novendecim: Computatione ſcilicet inita, (quemadmodum videtur,) ut quatuor ex illis Cubiculis, quæ reliquis nonnihil præſtabant, quatuor ex Primariis noſtris, exciperent, in quibus ſeorſim cubarent; Reliquorum quindecim ſingula binis aſſignarētur. Cubicula elegantia erant, & lucida, nec-non Suppellectili ſatis lauta ornata. Tum demum in Porticum longam divertimus; Qualia ſolent eſſe Dormitoria Monachorum; ubi oſtendit nobis, per Latus unum integrum, (Nam Latus adverſum nihil aliud erat, quam Paries, & Feneſtrę,) Cellas ſeptendecim, nitidas, Partitiones habentes ex Cedro. Quæ Porticus, cum Cellis, numero quadraginta, (multo ſcilicet pluribus, quam nobis opus erat,) inſtituta erat ad uſum Infirmorum. Simulque monuit, quod quãprimũ aliquis

quis ex AEgrotis convalesceret, trāsferri posset è Cella in Cubiculum, Ad quem usum parata erant, decem alia Cubicula, præter illa, de quibus ante diximus. Hoc facto, in Canaculum nos reduxit, & attollens paululum Arundinem suam, (quod in more illis erat, quoties Ministri Mādata Superiorum referunt,) ita ad Nos locutus.

Notum Vobis facio, consuetudinem Regni hujus postulare, ut post diem instantem, & crastinum, (quos Vobis ad transferendos è Navi Homines, & Res vestras, permittimus, contineatis vos ipsos, intrà Fores hasce, in triduum. Veruntamen, hoc vos non perturbet, neque propterea intra Carcerem vos compingi existimate: Sed potius indultum hoc esse, quo ab Itinere vestro, spiritus recreetis & reficiatis. Nullius rei egebitis: Quin & sex Famuli assignati sunt, qui vobis ministrent, & Negotia vestra expediant. Gratias ei egimus, cum omni affectu, & humilitate: Et diximus: Deus proculdubio in hac Terra manifestatur. Obtulimus ei etiam viginti Aureos, sed ille quo-

quoque subridens, hoc solum dixit: Quid, vultis me esse Hominem bini Salarii? sic abiit. Paulo post, prandiũ nostrum allatum est: Quod certe satis lautum, & salubrem victum, tam respectu Ciborum, quam Potus, exhibuit: Meliorem certe & uberiorem, quam pro modulo Collegii ullius, quantum novi, in Europa. Potus erat trium Generum: Vnumquodque eorum bonũ & salubre: Vinũ ex Vvis: Potus ex Granis, qualis, est apud Nos Cervisia, sed clarus & limpidus: Et Siceræ Genus ex Fructu quodam ejus Regionis confectum, Potus sane gratissimis, & miri refrigerii. Allata etiam est Nobis magna Copia Arantiorum illorum coccineorum, in usum AEgrotorum: Ajebant enim, ea præsens & efficax esse Remedium cõtra AEgritudinem in Navigatione contractam. Præterea, Pyxidem nobis tradidit, pillulis albescentibus sive cineritiis, plenam: Monuitque, ut AEgroti nostri, unam earum, singulis noctibus, in Introitu Lecti, sumerent, Quas dixerat Sanitatem eorum acceleraturas. Proximo die, cum à Labore & opere, circa vecturam

ram Hominum, & Rerum nostrarum, è Navi, requievimus, visum est mihi, Socios nostros in unum convocare: Cum autem convenissent, ita eos allocutus sum: Amici mei charissimi, Noscamus nos ipsos, Et quo loco res nostræ sint. Viri sumus, in Terram projecti è Mari, sicut Ionas è ventre Balenç, cum in Alto veluti sepulti essemus. Iam vero, licet Terram rursus calcamus, inter Vitam tamen, & Mortem, medii consistimus. Etenim Fines, & Veteris, & novi Orbis, prætervecti sumus. Atque utrum Nobis Europam rursus conspicere dabitur, soli Deo notum. Miraculo quodam huc advecti sumus, Atque à miraculo prope aberit, si hinc abvehamur. Quocirca, Salutem prçteritam, ac pericula prçsentia, & futura, animo recolentes, ad Deum nos convertamus, Corda levemus, & vias nostras singuli corrigamus. Præterea, ad populum Christianum. Pietatis & Humanitatis plenum, venimus: Curemus (quæso,) ne illam Faciei confusionem, super nos inducamus, ut coram illis vitia nostra, aut malos Mores, palam

palam faciemus. Adhuc restat amplius, Illi enim, (etsi sub Humanitatis Forma) nos hujusce Domus claustris, ad triduum, concluserunt, Quis novit, num-nam hoc faciant, quo Morum nostrorum experimentum sumant : Quos si repererint pravos, confestim exulare nos jubebunt. Sin probos, Moram hic longiorem indulgebunt? Quos enim assignarunt, Famuli isti, quidni etiam speculatorum vices agant? Itaque, propter Amorem Dei, atque si charum nobis sit Bonum Animarum & Corporum nostrorum, ita nos geramus, ut & pacem cum Deo habeamus, & Gratiam in Oculis populi hujus inveniamus. Socii nostri, una voce, mihi, de iis quæ admonueram, gratias egerunt, Promiseruntque, sobre se & modeste victuros, absque scandalo vel minimo. Itaque tres illos dies læti, & curis vacui, peregimus, Nihil solliciti de eo, quod Nobis, post triduum illud, contingere posset : Quo etiam Dierum curriculo, assidue, propter Convalescentiam Ægrorum nostrorum, exhilarati sumus. Qui se, veluti in Probati-

cam

cam aliquam, divina Sanandi virtute præditam, missos existimabant: Tam celeriter siquidem, & convalescebant.

Crastino post illud triduum elapsum, venit ad Nos Homo novus, quem antea non videramus, veste cærulea, amictus, quemadmodum & prior, Nisi quod Turbanum ejus album esset, cum Cruce parva, rubea, in vertice. Habuit etiam Liripipium, circa Collum, ex linteo purissimo. Sub Introitum suum paululum se inclinavit, & Brachia sua nonnihil explicavit. Nos vero eum resalutavimus, modo admodum humili & submisso, Ab ore ejus sententiam, vel Vitæ, vel Mortis, expectantes. Postulavit, ut cum paucis aliquibus Hominum nostrorum colloqueretur. Itaque sex tantum manserunt, cæteri se subduxerunt. Tum ille. Ego quidem Domus hujus peregrinorum, officio Præpositus sum; Vocatione autem Presbyter Christianus. Itaque jam accessi, ut operam meam, vobis, in omnibus, præstarem, tanquam Peregrinis, sed præcipue tanquam Christianis. Nonnul-

nulla habeo quæ vobis referam, quæ (ut arbitror) non illibenter audietis. Status iste licentiam vobis dedit per ſex Septimanas ulterius commorandi. Neque vos conturbet, ſiquidem Negotia veſtra ſpatium amplius poſtulent: Nam neque Lex ipſa Regni, in hàc parte, rigida eſt; Tum vero minime dubito, quin & ipſe vobis Comperendinationem Temporis iſtius, prout res veſtrę flagitabunt, procurare poſſem. Quin & inſuper narro vobis, Domum hanc Peregrinorum, iſto tempore, ſat diteſcere, & pecunia numerata bene inſtrui: Reditus enim ſuos accumulavit, jam per Septem & triginta Annos: Tot enim effluxerũt, ex quo Peregrinus aliquis ad has partes appulerat: Itaq; de Impenſis veſtris ſolliciti ne ſitis, Sumtus, quãdiu hic manſeritis, è publico ęrario miniſtrabitur: Neq; vel punctum Temporis, hujus rei cauſſa, de Mora veſtra decidet. Quantum vero ad Merces, quas adduxiſſe dicitis nullę vobis imponentur Cõditiones duræ, ſed juſtis pretiis eas vendetis, Valorem earũ accipientes, vel in Mercibus aliis, vel in Auro & Argento:

No-

Nostri enim nihil interest. Sin vero quicquam sit, quod à Statu isto petere velitis, illud nos ne celetis. Reperietis enim, nos Responsum tale relaturos, quo vultus vester minime decidat, aut contristetur. Hoc tantum vobis edico, Ne quis vestrum, Karanna longius, (Illa apud eos sesqui milliari æquivalet,) à Mœniis Vrbis abscedat, sine licentia speciali. Respondimus, postquam nos vicissim intuiti essemus, gratiosam hanc & quasi paternam Benignitatem admirantes, Non habere nos, quod diceremus, Cum & Gratiis agendis verba non suppeterent, & præ nobilis eius & inopinata Munificentia, omnia, quæ à Nobis petenda essent, præoccupasset. Nos certe Cogitationem illam subire, quasi effigiem Salutis æternæ, in Cœlis, ante oculos haberemus: Siquidem, qui paulo ante, in Faucibus Mortis constituti eramus, adductos jam esse in Locum, ubi Consolationes perpetuæ, & nil aliud, spirant. Quantum ad Mandatum Nobis impositum, Obedientiam summam præstituros, Etsi fieri non posset, quin Cor-

Corda nostra, ardentissimo sanctam illam & felicem Terram, ulterius visendi, desiderio, inflammarentur. Adjecimus, Linguas prius Faucibus nostris adhæsuras, quam Nos mentionem, vel Personę ejus Venerandæ, vel Gentis hujus universæ, in precibus nostris, omitteremus. Supplicavimus etiam ei, ut nos in Numero Servorum suorum, verorum merito, & fidorum, reputaret, Iure non minore, quam quo unquam Mortales Mortalibus devincti fuerint: Itaque Nos ipsos, & omnia nostra, ad pedes ejus, humiliter projicere. Dixit Sacerdotem se esse, & Sacerdotis Mercedem expectare: Id est, Fraternum Amorem nostrum, & Bonum Animarum & Corporum nostrorum. Ita à Nobis discessit, non sine Lachrymis, præ teneritudine Animi, obortis, Nos quoque reliquit Gaudio, & Affectu Gratitudinis, confusos, & perculsos, Atque invicem dicebamus, Nos venisse in Terram quandam Angelorum, Qui Nobis quotidie apparebant, & Consolationibus pręveniebant quas ne cogitare quidem potuissemus, nedum

dum

dum expectare.

Die proximo, Horam circiter decimam, matutinam, denuo nos invisit Præpositus: & post Salutationes utrinque factas, dixit familiariter: se venisse, ut nos visitaret, & Tempus Nobiscum tereret. Tum Cathedram poposcit, & consedit. Nos autem, numero decem, (nam cæteri aut inferiores erant, aut foras abierant,) circa eum sedimus: Ac deinde ita exorsus est. Nos de Insula hac Bensalem, (ita enim eam vocant Lingua sua,) hoc habemus: Quod ob situm Insulę nostræ solitarium: Et Leges peregrinantibus è Nobis impositas, de Terra hac celanda, & raram exterorum Admissionem in Regionem nostram, Nobis quidem maxima Pars Orbis Habitabilis nota sit, ipsi vero aliis penitus simus incogniti. Itaque cum Quæstiones illis aptiores sunt, qui minus norunt, consentaneum est magis, ut Vos me interrogetis, quam ut Ego vos. Respondimus: Nos illi Gratias maximas referre, quandoquidem hanc Nobis licentiam indulgeret: Tum ex iis, quæ jam observavimus, facile nos conji-

cere, non esse Rem in Mundanis cognitu digniorem, quam Statum & Conditionem Terræ hujus fælicissimę. Sed ante omnia, (diximus,) cum ab extremis Terrę Oris jam cõvenerimus, nec non in Regno Cælesti nos olim conventuros speremus, (eo quod utrinque Christiani simus,) scire avemus, Quandoquidem Terra ista in tantum dissita sit, & vastis & incognitis Maris Tractibus, divisa, à Terra illa, in qua Servator noster, dum in Carne fuit, versabatur:) Quis tandem hujus Gentis Apostolus, & quibus modis ad Fidem conversa, fuerit? Facile erat, ex vultu ejus perspicere, gratam illi imprimis fuisse hanc Quæstionem nostram: Cor meum, (inquit) vobis mirifice attraxistis, quod Quæstionem hanc primo in loco proponitis: Indicat enim vos, quærere primum Regnum Dei: Atque libenter, & breviter, Postulato huic vestro satisfaciam.

Annos circa Viginti, ab Ascensione Domini, factum est, ut conspiceretur à Populo Rensusæ, (Vrbis mari-

timę, ad Orientalem plagam Regionis nostræ, sitę,) noctu, (Nox autem erat Nubila, sed placida,) juxta mille passus à littore, Columna Lucis præalta: Non figura Pyramidali, sed veluti Cylindri, è pelago versus cœlum erecta, & in vertice ejus Crux Lucis ampla, Corpore Columnæ aliquanto splendidior. Ad spectaculum hoc tam mirabile, congregatus est (ut fit) Populus Vrbis, super Arenas Maris, & stabat paulisper attonitus: Verum paulo post Scaphis parvis plurimi se commiserunt, ut Rem tanti stuporis propius inspicerent. Verum, postquam Scaphæ, intra sexaginta circiter à Columna Virgatas, advenissent, ecce omnes subito se sistebant, nec ulterius procedere poterant: Ita tamen, ut in Circuitu movere, sed non accedere propius liceret: Adeo ut Scaphæ veluti in Theatro starent, Lucem hanc tanquam Scenam cœlestem spectaturæ. Evenit autem forte fortuna, ut in Scapharum una, adesset quispiam ex Sapientibus nostris, Societatis nimirum Domus Salomonis: Quæ Domus sive Collegium, (Fratres mei

Cha-

Chariſſimi,) Oculus plane eſt hujuſce Regni. Qui poſtquam aliquandiu, Columnam hanc, una cum Cruce, attente, & devote contemplatus eſſet, in faciem ſe proſtravit, & dein ſe in genua erigens, manuſque ad Cælum attolens, hujuſmodi Preces fudit.

Domine Deus Cæli & Terræ; ex gratia tua ſpeciali, Ordinis noſtri Hominibus, dignatus es, Opera tua Creationis, & eorum Secreta, noſſe; Atque dijudicare, (quantum Generationibus Hominum datur,) inter Miracula Divina, Opera Naturæ, effectus Artis, & Illuſiones Dæmonum, cum Impoſturis omnimodis. Agnoſce & teſtor coram hoc populo, Rem hanc quam ante oculos intuemur, eſſe Digitum tuum, & Mira-

culum Verum. Quoniam autem è Libris noſtris didicimus, Miracula nunquam à Te edita, niſi ob Finem aliquem Divinum, & excellentem, (Etenim Leges Naturæ Leges tuæ ſunt, à quibus niſi magnam ob Cauſſam minimè recedis;) humillime obſecramus, ut ſignum hoc magnum nobis fortunes, atque ejus Interpretationem & uſum in Miſericordia conſedas; Id quod, dum idem ad nos mittas, tacite & ſecreto polliceris.

Poſtquam ita precatus eſt, continuo Scapham, in qua vehebatur, ſolutam ſenſit & mobilem, cæteris adhuc veluti ligatis manentibus. Illud in ſignum certum Licentiæ appropinquandi interpretatus, Scapham fecit, placide, & cum Silentio, verſus

us Columnam, Remigio impelli. Verum antequam ad illam pervenisset, Columna cum Cruce Lucis dissipata est, & se undique tanquam in Firmamentum quoddam Stellarum multarum vertit: Quæ etiam & ipsæ brevi evanuerunt: Neque aliud restabat spectandum, præter Arcam quandam parvam ex Cedro, Siccam quidem, neque Aqua ullatenus madefactam, etsi nataret. In parte autem ejus priore, versus Sapientem, Ramus palmę, exiguus quidem & viridis, crescebat. Is, postquam plurima cum Veneratione, Arcam in Scapham suam recepisset, ecce Arca sponte se apperuit, in qua reperti sunt, Liber, & Epistola: Vterque in membrana pura scriptus, & sindonibus linteis involutus. Liber continebat Canonicos Libros universos veteris & novi Testamenti, prout vos illos habetis, (etenim satis scimus quos libros ecclesię apud vos recipiunt;) Atque Apocalypsis ipsa, & nonnulla alia ex Novi Testamenti scriptis, quæ eo tempore edita non erant, nihilominus eo Libro continebantur. Quod vero ad epistolam,

servata est hæc Terra, ab infidelitate (quemadmodū & reliquiæ mundi veteris servatæ fuerunt ab aquis,) per Arcam, ope Apostolicæ & miraculosæ Euangelizationis sancti Bartholomæi. Atque hic loqui desiit. Quando Nuncius quidam venit, qui eum accersivit. Sicque, eo Colloqui, nihil aliud intervenit.

Die postero, statim à prandio, rursus ad nos venit Præpositus; seque excusavit, dicens, se pridie à nobis subito & inopinato avocatum, nunc vero rediisse, ut illud compensaret, tempusque nobiscum una insumeret, si modo gratum nobis, consortium ejus, aut Colloquium, fuerit. Respondimus, imo illud tam gratum nobis accedit, ut nec miseriarum præteritarum, nec periculorum futurorum, memores simus, quamdiu colloquio ejus fruamur. Addidimus, existimare nos, horam unam, sermones cum illo conferendo, insumptam, annis integris vitæ nostræ prioris præstare. Inclinavit se paululum, & postquam consedissemus, dixit: Bene habet, quæstiones vestræ sunt. Tum unus è nostris parva interposi-

teras, aut per Adventus Exterorum ad eas, sibi invicem innotescant. Licet autem, qui in Natione extera peregrinatur, plus Notitiæ & Informationis visu nanciscatur, quam domi manens à peregrinante, auditu solo, addiscere possit, Attamen, utroque modo, Notitiam mutuam, aliqua ex parte, haberi posse. Verum quantum ad hanc Insulam, nunquam Nova ad nos allata, de alicujus Navis, ab ea, ad Oras nostras, appulsu, nedum ad Littora Europæ, Neque ad Littora Indiarum, Occidentalis aut Orientalis: Neque aliquid accipisse, de navi ulla, cujuscunque ea Populi sit, quæ à Terra hac redierit. In hoc autem, illud quod Admirationem movet, non consistere, Situm enim ejus, (ut Dominatio sua dixerat,) in tam vasti pelagi Conclavi secreto, huic rei in caussa esse posse, Verum, ut illi contra Notitiam Linguarum, Librorum, Rerum haberent, Gentium ab iis tam immensis spatiis distitarum, Id omnem admirationem superare, Neq; nobis quomodo fieri hoc possit, ullo modo in Mentem venire:

Nobis ſiquidem Divinarum Mentiũ & Poteſtatum, non autem hominum quorumvis, conditionem videri, ut ipſę Occultæ & invíſibiles lateant, cæteris interim illarum viſui patentibus, & velut in aprico poſitis. Ad hæc verba, Præpoſitus placide ſubriſit, & dixit: Non ſine cauſſa, veniam nos hujus quæſtionis petere, ſiquidem innuere, ac ſi Terram hanc, non aliam, quam Terram Magorum duceremus, quæ ſpiritus aërios, in omnes Partes, emitteret: Quorum ope & famulitio, quæcunque in aliis regionibus gererentur, pernoſceret. Omnes uno ore humiliter reſpondimus, vultu tamen ita compoſito, ut eum non alias quàm joco hoc dixiſſe, præ nobis ferremus: Nos ſane facile in eam cogitationem venire, eſſe aliquid, in hac Natione, plane ſupernaturale: Illud tamen, potius Angelicum, quam Magicum, ducere: Verum perſpicue apud Dominationem ſuam eloqueremur, quid tandem illud fuerit, quod ſcrupulum hunc, ne quæremus, injeciſſet, nihil ex hac re ſapuiſſe, ſed quoniam in ſermone præterito cum innuiſſe me-

mine-

mineramus, gentem istam, de Silentio ergo peregrinos, per leges cavisse. Ad hoc respondit: recte quidem meministis: Itaque in iis, quæ proferre apud vos instituo, nonnulla reservanda sunt, quæ omnino revelare licitum non est, haud pauca tamen supererunt, quæ satisfactionem vobis abunde præstabunt.

Intelligetis igitur, (id quod vobis fortasse vix credibile videbitur,) ter mille circiter abhinc annis, aut paulo plus, Navigationes Orbis Terrarum, (præsertim in Regiones remotas,) majores fuisse, & magis strenue susceptas, quam hodierno die. Ne existimetis, nescire me, quantum apud vos creverint Navigationes, intra annos centum & viginti proxime elapsos: Satis mihi hoc cognitum. Et tamen, majores (inquam) fuerunt, eo tempore, quam nunc. Sive conservatio illa, reliquiarum humani generis, per Arcam, à Diluvio universali, hanc Navigandi confidentiam hominibus indiderit, sive aliud quid in caussa fuerit. Sed utcúnque, hoc quod dico, verum est. Phœnices, ac præcipue Tyrii, magnas habebant Clas-

ſes. Similiter habebant & Carthaginienſes, Colonia ipſorum, quamvis ad Occidentem magis ſita ſit. Ab Oriente vero, Claſſes, AEgyptiorum, & Palæſtinę, potentes erant, & numeroſæ. China autem, & Atlantis magna, (quam vos Americam vocatis,) quę nunc Yuncas tantum & Canoas, habent, ut magna abundabant, illis diebus, Navium grandiorum. Inſula hęc noſtra, (ut ex fidelibus ejus AEtatis Hiſtoriis plane liquet,) inſtructa tum fuit navibus mille quingentis, iiſque fortibus, & magnæ capacitatis. De hoc, quod loquor, apud vos, exigua admodum, aut nulla eſt Memoria, At nobis pro certo cognitum eſt.

Eo etiam tempore, ad Inſulam hanc, Naves & Carinæ, earum omnium, quas modo nominabam, Nationum, appulerunt. Atque, ut fieri ſolet, Naves illæ præter Populares ſuos, vehebant multos, ex aliis Regionibus, quę ipſę maritimę non erant, veluti Perſas, Chaldæos, Arabes; Ita ut omnes fere Nationes potentes & celebres, locum hunc adierunt: Ex quibus nonnullas habemus,

Stirpes, & Tribus tenues, uſque in hodiernum diem. Quod vero ad Naves noſtras attinet, in omnes propemodum Oras navigarunt, tam ad Fretum veſtrum, quod Columnas Herculis appellatis, Quam ad alias, tum Mediterranei, tū Atlantici Maris. Regiones: Veluti ad Paguinum, (Civitatem in China antiquiſſimam) Quæ eadem eſt cū Cābalu, & Quinze, ad Orientale Pelagus ſitu, non procul à finibus Tartarię Orientalis.

Eodem præterea tempore, & ſeculo integro inſequente, aut amplius, populi magnæ Atlantidis potentes admodum erant. Etſi enim narratio & deſcriptio, à Viro magno veſtri Orbis facta, (Scilicet, progeniem Neptuni Sedes ſuas ibi fixiſſe, Tum de magnificis, Templo, Palatio, urbe, & colle, quin & de multiplicibus pulchrorum & magnorum Fluviorum Spiris, quæ (tanquam totidem Torques,) Templum illud & Vrbem cingebant; Ac denique de Gradibus illis inſignibus Aſcenſus per quos ad eadem perveniebatur, veluti per Scalam quandam Cœli;) Sit

Fabu-

Fabulosa & Poetica: hoc tamen veritatis immiscetur, Regionem illam Atlantidis, tam illam Peruviæ tunc Coyam vocatam, quam illam alteram Regni Mexicani, tunc dictam Tirambel: Regna fuisse, Armis, Classe, & Opibus, potentia & superba. Tam (inquam) potentia, ut eodem tempore, (vel saltem intra spatium decem Annorum,) duas magnas Expeditiones Navales susceperint: Hi nimirum de Tirambel, per Atlanticū Mare, usque ad Mare Mediterraneū; Illi autem de Coya per Mare Australe, usque ad hanc Insulam nostram. De priore autem Expeditione, videtur Auctor ille vester, aliquid à sacerdote AEgyptio, quem citat, hausisse. Pro certo enim, expeditio talis fuit. Vtrum vero Athenienses antiqui illi fuerint, qui Copias illas repulerunt & profligarunt, Atque hæc eis Gloria tribuenda, non habeo quid dicam, Illud extra omnem Dubitationem, nec navem, nec virum, unquam ab ea Expeditione rediisse, Neque meliore fortuna usa esset Classis illa Coyæ, quæ nos invasit, nisi in hostes clementiores incidisset.

diſſet. Etenim Rex Inſulæ hujus, (nomine Altabin,) Vir prudens, & Imperator in bello optimus, Cui tum Hoſtium, tum propriȩ vires, ſatis exploratȩ erant, ita rem geſſit, ut Copias eorum terreſtres, poſtquam in Terram deſcendiſſent, à Claſſe eorum intercluderet, Atque veluti indagine utraſque Copias cingeret, majori exercitu quam illorum fuit, & Terreſtri & Navali, Sicque eos ad Deditionem, abſque prælio, compelleret: Cumque in poteſtate ſua eſſent, haud duriores Conditiones impoſuit, quam Iusjurandum ab iis exigendo, ſe in poſterum, contra illum, nunquam Arma laturos: Quo facto eos incolumes omnes dimiſit. Veruntamen Vindicta Divina, non multo poſt, ſuperbos illos auſus, ulta eſt, ſiquidem, intra Curriculum centum Annorum, aut minus, Atlantis illa magna omnino perdita & deſtructa fuit, Non Terrȩ-Motu abſorpta, ut Vir ille veſter affirmat. (Etenim Tractus ille totus, Terrȩ Motibus parum eſt obnoxius,) Sed per particulare diluvium, ſive Inundationem: Quandoquidem etiam ho-

dierno die, Regiones illæ, majores habeant Amnes, atque etiam Montes altiores, qui Aquas in Planities effundant, quam alia pars quæcunque Orbis veteris. Sed illud verum est, Inundationem illam non fuisse profundam, Non amplius forsan, in pluribus locis, quam ad quadraginta pedes, Vnde factum, ut licet Homines, & Bestias, undeque demerserit, Silvestres nihilominus habitatores quidam Montium evaserint. Aves quoque in tuto fere fuerunt, ad Montes, aut Arbores præaltas, conclando. Homines vero, licet in aliquibus locis, Ædificia haberent, altiora quam quo aquę pervenire possent; inundatio tamen illa, licet minime profunda, diuturna fuit. Vnde, qui in Valle degebant, propter penuriam Cibi, & rerum aliarum necessariarum, Fame & Inopia, perirent. Itaque, ne miremini, si America habitatorum tam rara sit, neque si populus ejusdem, adeo simplex & barbarus existat. Etenim rationem sic instituere debetis; Populum Americanum novum esse, & recentem (inquam) præ cæteris Orbis

habi-

habitatoribus, annis non minus mille. Tantum enim temporis intercesserat, inter Diluvium universale, & illud Americę particulare. Siquidem tenues illę, & rarę, humani Generis, Reliquię, quæ in Montibus manserant, in inferiores regionis partes, tarde Sobolem dederunt; cumque essent homines feri, & omnium rerum rudes, (Neutiquam Noacho, & Filiis ejus similes, qui familia erant, ex universo Orbe, Electa,) ad Literas, Artes, & vitę Cultum, posteris transmittendum, non sufficiebant. Atque insuper, cum in habitationibus suis Montanis,(propter asperrimum Frigus Regionum illarum,) pellibus ursorum,tigridum,& caprorum magnorum & hirsutorum, qui in illis partibus abundant,vestire se consuevissent,postea autem in vallem descẽdẽtes,intolerabiles ibi fervores ferre nõ possent,neq; vestiũ magis levium ulla copia eis prępsto esset, coacti sunt morem nude incedendi introducere, qui apud illos,usq; in hodiei nũ diem, in usu est. Solũmodo magna voluptate,& desiderio afficicũtur,aviũ plu-

di;

mas gestádi; atq; hoc procul dubio, à Traditione, & exemplo majorũ, qui in montibus habitabãt, hauserunt; qui ad hunc forte usum allecti fuerunt, ex innumera Avium multitudine, alia petentium, cum ima aquis stagnarem. Videtis, (fratres,) per casum hunc majorem, & temporis quasi miraculum; commercium nostrum cum Americanis cessasse, cum ipsi amplius non essent: Cum quibus, supra omnes mortales, commerciũ antea habuimus, utpote Regioni nostræ proximis. Quantum vero ad alias orbis partes, manifestissimum est, seculis succedentibus, sive propter bella mota, sive ex periodo & vicissitudine temporum, navigationes ubique majorem in modum elanguisse: præcipue autem Navigationes longinquas; propterea quod Triremes, & ejusmodi Carinæ, quæ Oceanum vix tolerare possent, in usum venire cœperunt Hinc igitur, quam ob caussam, notitia illa Regionis nostrę, quæ à Navigantibus ad nos acquiri potuit, multis abhinc seculis defecerit, clare cernitis; nisi forsan raro eventu talis Appulsus

obtigerit, quemadmodum ante dies paucos vester. Iam vero, de Navigationis nostræ,in alias partes, cessatione aliam vobis caussam,assignare oportet. Neque enim denegare possum, (si verum fateri cupiam,) quin apparatus & instructio nostra Navalis, numero & robore Navium, abundantia Nautarum,peritia Gubernatorum, & aliis rebus quibuscunque,æque hodie valet, ac olim valebat. Itaque, quid in re sit, quod domi jam sedeamus, separatim vobis declarabo: Atque hoc propius accedet, ad quæstionem vestram, quam initio proposuistis,elucidandam.

Regnavit in hac Insula,ante annos mille nongentos, Rex, cujus memoriam,supra alios omnes,maxime colimus & veneramus: Non superstitiose, sed tanquam Divini cujusdam Instrumenti,licet hominis mortalis. Nomen ei fuit Solamona. Eum autem pro Legislatore hujus Gentis ducimus. Regi isti cor Deus indidit latum, & in bonis inscrutabile: qui in illud totus incumbebat, ut Regnum, & Populum suum,bearet. Itaque,cum secum reputaret,quam sufficiens,

ficiens, & (ut dicam) ſubſtantiva, Terra hæc ex ſeſe fuerit, ad ſeipſam ſuſtentandam, abſque opibus aut Copiis Exterorum: Quippe quæ in Circuitu, quinquies mille & ſexcenta Milliaria, plus minus, contineret: Et maxima ex parte ferax inprimis eſſet, & bonitate Soli præſtaret: atque rurſus perpendens Claſſem & Naves Regni, non ſegniter applicari & exerceri poſſe, tam per Tranſportationem & Vecturam, de portu in portum: Necnon per Navigationes ad Inſulas quaſdam adjacentes, & Imperio huic & Legibus ſubditas: tum vero in memoriam revocans, quam felix & florens, eo tempore, regni hujus ſtatus fuerit: (Ita ut mille modis in deterius, ſed vix ullo modo in melius, mutari poſſet;) Nihil omnino deeſſe putabat, quo Fines ſuos Nobiles planè & Heroicos aſſequeretur, niſi ut, (quãtum Humana providentia efficere poſſet,) Res illas, quæ ſuo tempore tam fœliciter eſſent fundatæ & ſtabilitæ, perpetuitate donaret. Quocirca, inter Leges alias ſuas Fundamentales, Leges plurimis ſanxit, de

Intro-

Introitu exterorum interdicendo: Qui eo tempore, (licet post Calamitatem Americanam,) satis frequens erat: Isthoc Instituto, quia á Novitatibus, & mixturis Morum, metuebat. Verum est, Interdictum Simile, de Introitu Exterorum, Scito veteri, apud Chinenses valuisse, atque etiamnum valere. Sed ibi res est despicabilis, eosque reddidit, gentem, curiosam, imperitam, timidam, & ineptam. At Legislator noster, in Lege sua condenda, diversum longe adhibuit temperamentum. Primum enim, Iura Humanitatis omnia sarta tecta servavit, in Institutis & Fundationibus suis, pro Levamine & Solatio peregrinorum afflictorum; Quod & vos experti estis. Ad quod dictum, ut par erat, consurreximus omnes, nosque inclinavimus. Ille perrexit. Rex idem, cupiens factis humanitatis cõsilia politica adjũgere: atque humanitati minime convenire putans, ut exteri inviti detinerentur, nec minus rationibus status non cõvenire, ut riderent, & Insulæ hujusce Arcana evulgarẽt, hãc viam imit. Cõstituit, ut ex exteris, quibus permissũ

foret

foret in Terram hanc descendere, qui abire vellent, non prohiberentur; qui autem manere præoptarent, conditiones & vivendæ Facultates à Statu reciperent. In qua re, visu jam acri polluit, ut post tot seculorum spatia, à lege hac condita, memoriam nullam habeamus, ne vel unicæ duntaxat Navis, quæ Reditum prætulit; atque tredecim tantum virorum, temporibus diversis, qui in nostris Navibus reverti elegerunt. Quid autem pauci illi, qui sic redierunt, de Regione hac propalarint, nos fugit. Facile autem existimare potestis, quicquid retulerint, non aliter quam pro insomnio quodam, habitum esse. Navigationes autem nostras, ad partes exteras, visum est, Legislatori nostro, penitus coercere. In China hoc non fit. Etenim Chinenses, quo volunt, & possunt, navigant. Quod satis ostendit, Legem illorum, de exteris arcendis, à pusillanimitate sola, & metu, provenire. Interdictio autem hæc nostra, unam tantum recipit restrictionem: eamque certe admirabilem: Bonum enim, quod à communicati-

one

one cum exteris trahi poſſit, conſervat, malum autem evitat. Id vobis nunc aperiam. Atque hic videbor aliquantiſper, ab eo quod agitur, digredi: Sed mox, hoc ipſum, ad rem pertinere perſpicietis. Intelligetis itaque (amici mei præchari) inter Acta illius Regis, unum maxime eminere. Illud eſt, fundatio ſive Inſtitutio Ordinis cujuſdam & Societatis, quam nos Domum Salomonis vocamus. Nobiliſſimam dico (quantum nos arbitramur,) omnium, per Terrarum Orbem, Fundationem, atque Regni hujuſce Luminare magnum. Domus hæc ſtudiis & contemplationibus, operum & creaturarum Dei, dicata eſt. Putant nonnulli, nomen traxiſſe à Fundatore, paululum corruptum: ac ſi deberet dici Solamonæ Domus: Verum archiva ipſa authentica, ſic ſcriptum habent, prout in Sermone quotidiano nunc profertur. Itaque nomen fluxiſſe arbitror, à Rege illo Hebræorum, qui apud vos celebris eſt, nobis autem non ignotus. Habemus enim portiones aliquas operum ſuorum, quæ apud vos deſiderantur.

Hiſto-

Hiſtoriam illam Naturalem dico, quam conſcripſit de Plantis omnibus, à Cedro Libani, uſque ad Hyſſopum, quæ de Pariete egreditur, atque de omnibus rebus, quibus vita & motus ineſt. Hinc animum meum cogitatio illa ſubiit, Regem noſtrum, quandoquidem ſe in multis cũ Rege illo Hebræorum, conſentire ſenſit, (qui multis ante eum annis vixerat,) ejus titulo fundationem hanc honoraſſe. Atque in hanc opinionem præcipue adducor, quod in Hiſtoriis admodum antiquis *invenio*, *Societatem* hanc, interdum domum Salomonis vocari, interdum autem Collegium Operum ſex dierum. Vnde perſuaſum habeo, Regem illum noſtrum præcellentem, ab Hebræis didiciſſe, Deum, Mundum hunc, & omnia quæ ei inſunt ſex dierum ſpatio creaſſe, ideoque, cum Domum illam inſtitueret, ad Inquiſitionem & Inventionem, Naturæ veræ, & interioris, rerum omnium, quo Deus conditor majorem reciperet gloriam, ob Fabricam earum, homines autem uberiorem perciperent fructum, in uſu earum, Indidiſſe etiam ei il-

ei illud alterum nomen, nimirum, Collegii operum ſex dierum. Verum, ut redeamus tandem, ad id quod nunc agitur. Poſtquam Rex omnem ſubditis navigationem interdixiſſet, præterquam in partes huic Imperio ſubditas, hanc nihilominus Ordinationem ſancivit: Nimirum, ſingulis duodenis annis, mittendas ex hoc Regno, naves binas, in partes orbis diverſas: In utraque Navium harum, tres ex Fraternitate domus Salomonis, ſeorſim vehendos: His in Mandatis dandum, ut nos, de rebus, & ſtatu locorum illorum, ad quos appellerent, certiores facerent, præcipue autem de ſcientiis, artibus, manufacturis, & inventionibus mundi univerſi, utque, in reditu, libros, inſtrumenta, exemplaria in unoquoque genere, ad nos perferrent: Navibus, poſtquam in Terram Fratres expoſuiſſent, redeundum, Fratribus autem, uſque ad novam Miſſionem, peregre manēdum: Naves haſce non aliis mercibus inſtruendas, quam Commeatus copia bona, nec-non Theſauri ſatis larga quantitate, in uſum Fratrum, ad res

eas coemendas, & homines tales remunerandos, quibus opus esset. Iam vero,ut vobis proferam modos,quibus vulgus Nautarum coercentur, ne in terris, ad quas appellant, dignoscantur: aut quibus modis, in terram expositi,sub nomine Nationum aliarum,lateant: aut ad quæ loca navigationes nostrę designatę sint: aut quæ Loca novis rursus missionibus pręfigantur, atque alias hujus generis circumstantias, quę ipsam Practicam partem spectant, mihi proloqui fas non est: *Neque multum certe* ad quæstionem vestram conducet. Sic itaque videtis, commercium nos instituisse: Non pro auro, argento, & gemmis, non pro sericis,aut aromatibus, neque pro aliis quibusvis rebus Crassis, sed tantum pro Creatura Dei prima, luce scilicet: luce, inquam, in quacunque tandem Terræ Regione, prorumpente, & germinante.

Cumque hæc dixisset, conticuit: nos etiam aliquandiu silebamus.Revera enim omnes attoniti eramus, cum audiremus, res tam mirabiles, oratione tam probabili recenseri.Ille autem

autem animos noſtros, cogitationibus aliquibus gravidos ſentiens, partui autem non maturos, civiliter admodum nos explicuit; & ad quæſtiones de itinere, & fortunis noſtris, deflexit: ſub finem autem dixit, recte nos facturos, ſi Conſultationem inter nos iniremus, de tempore, pro Mora noſtra, à ſtatu petendo. In quo juſſit minime verecundari nos, tempus enim quodcunque nobis poſtulare viſum fuerit, ipſe non dubitabat ſe impetraturum: Ad quod dictum ſurreximus omnes, & humiliter Fimbriam Liripipii ſui exoſculati cœperimus. Ille autem renuit, & continuo à nobis diſceſſit. Poſtquam vero, inter homines noſtros evulgatum fuit, ſtatum illum, conditiones exteris, qui manere vellent, largiri ſolere: vix ulli eorum perſuadere potuimus, ut Navem noſtram curarent, aut quo minus, Præpoſitum mox adirent, ad conditiones petendas. Sed, non ſine magna difficultate, eos tandem cohibuimus, donec ex conſenſu, quid faciendum eſſet, ſtatueremus.

Iam autem, tanquam liberos nos rebamur, cum metum omnem ex-

tremę ruinę, depulſum vidimus. Iucundiſſime item viximus: civitatem ipſam, nec-non Pomærium illud, quod nobis conceſſum erat, perambulantes: In quo, quæcunque viſu digna, aut grata erant, perquirebamus, & ſpectabamus. Interea familiaritatem cum plurimis ex Civitate, iiſque non ex inferiore ordine, contraximus; Inter quos, humanitatem tantam perſpeximus, adeoque Conſuetudinem tam jucundam & liberam, Peregrinos veluti in ſinu amplectendi, & fovendi; ut vix abeſſet, quin oblivionem, Nobis, omnium eorum, quæ in Patriis noſtris chara antea erant, induceret. Quin & quotidie incidimus, in res obſervatu, & relatu, digniſſimas. Certè, ſi ullibi Terrarum Speculum ſit, quod Oculos Hominum allicere debeat, & detinere, illud exhibet hæc Regio. Evenit, die quodam, ut duo ex noſtris invitarentur, ad Feſtum quodam (quod vocant) Familiæ. Mos autem celebrandi Feſtum illud, cenſeri merito poſſit, maxime pius, ex ipſa Naturæ Lege depromptus, & Venera-

nêratione dignus : Monſtrans proculdubio Nationem illam omni Bonitate refertam eſſe. Qui talis eſt. Conceſſum eſt, per Leges Regni, cuivis, cui vivere contigerit, dum triginta è corpore ſuo prognatos, ſimul ſuperſtites, viderit; Eoſque omnes tertium ętatis annum egreſſos; Feſtum hoc celebrare. Quod & publico ſumptu fit. Pater Familię (quem Tirſanum vocant,) biduo ante Feſtum, tres ex Amicis ſuis, quos eligere placuerit, ſibi advocat, Ac inſuper, Magiſtratus Civitatis, aut Oppidi, ubi Feſtum celebratur, præſentia honoratur: Omnes autem ex Familia, utriuſque Sexus adeſſe jubentur. Per Dies hoſce duos Tirſanus cum Amicis illis ſuis, & Magiſtratu, circa Bonum Familię, conſultationem init. Tunc ſi quæ Diſcordiæ, aut Lites, in Familia, obortæ ſint terminantur, & ſedantur. Tunc ſi qui ex Familia, in Paupertatem redacti fuerint, aut quovis modo afflicti, iiſdem ſubveniendi, & neceſſarium victum ſuppeditandi, ratio initur. Tunc ſi qui eorum vitiis addicti, aut genus vitę iners, & pravum, agant, repre-

henduntur, & censuram subeunt. Quinetiam circa Nuptias, & vitæ Conditionem alicui eorum maximè convenientem, Consilium tunc capitur; Et alia similia tractantur, & decernuntur. Magistratus ideo assidet, ut Decreta & Mandata Tirsani, si quis forte ex Familia non pareat, Auctoritate sua muniat, & Executioni demandet: Licet hoc raro admodum requiratur, Tantam nimirum, Ordini Naturæ, obedientiam præstant, Tunc etiam, Tirsanus, ex Filiis suis, unùm eligit, qui cum eo, in Domo sua, perpetuo vivat; Qui exinde vocatur, Filius Vitis. Ratio Nominis postea patebit. Die Festo, post Liturgiam divinam celebratam, progreditur Tirsanus, in Aulam quādam amplam, ubi Solennia Festi peraguntur: Quæ Aula, à parte superiori, gradum habet unicum Ascensus. Illic ad Parietem, in Medio, collocatur Cathedra, cum Mensa, & Peristromate super eam: Supra Cathedram extenditur Conopæum, rotundum, vel Ovatum, ex Hedera; Hedera certe, præ nostra, plurimum albescente, Colore, non absimili Folio

lio Populi, quam vocamus Argenteam: Sed aliquanto magis splendido: Viret enim per Hyemem. Conopęum autem, Filis Argenteis, & Byssinis, diversorum colorum, quę Hederam colligant, eleganter contexitur; atque Opificium plerunque est alicujus ex filiabus familię: In vertice, Reticulo tenui, ex Bysso & Argento, velatur: Verum Materia Conopęi Hedera vera est: ex qua, post solennitatem finitam, amici familię, folium aliquod, aut Ramusculum, decerpere amant. Progreditur Tirsanus, prole sua universa stipatus, Masculis præeuntibus, Fœminis à tergo insequentibus. Sin Mater Familiæ fuerit, quæ prolem universum peperit, collocatur ad dextrum Latus Cathedrę, Orchestra quædam, cooperta, cum Ostio secreto, & Fenestris, ubi illa clam sedet. Tirsanus postquam ingressus fuerit, in Cathedra illa considet, universa Familia, juxta parietem, tam à tergo, quam à Lateribus Aulę, super Gradum ascensus, secundum Ordinem Ætatis, non habito sexus discrimine, se sistente, & super pedes erecta.

Cum consederit, (Aula interim frequentia haud parva referta, sed sine turba aut strepitu,) post moram nonnullam, ingreditur, ab inferiori parte Aulæ, Taratannus, (Quod verbum apud eos significat haraldum;) Cujus latera tegunt Adolescẽtuli duo; quorum unus rotulum gerit ex splendẽte illa lutea membrana, alter botrum uvarum aureum cum pedicillo sive caule longa. Haraldus, & uterque adolescentulus, pallius sericis, coloris thalassini, vestiuntur; verum *pallium haraldi, radios habet* aureos, & dimittitur adeo ut Terram nonnihil verrat. Haraldus, ter se aliquantulum inclinans, accedit usque ad Gradum Ascensus, ibique primo in Manum sumit Rotulum. Rotulus iste, Charta Regia est, Et Redituum, Privilegiorum complurium, exemptionum, & insignium Honorificorum, Patri Familiæ, concessorum, dona continet: Inscribitur autem semper, Tali, Amico nostro dilecto, & Creditori: Qui titulus, à Rege, in hoc solummodo casu, tribuitur. Ajunt enim Regem, nulli debitorum esse, nisi ob Propagationem

nem Subditorum. Sigillum huic Chartæ affixum, est Regis Effigies, Auro insculpta: Atque quamvis hujusmodi Chartæ, ex officio, & tanquam jure, expediantur, pro arbitrio tamen, secundum numerum & Dignitatem Familiæ, variantur. Hanc Chartam perlegit Haraldus, voce alta; dumque legitur, Tirsanus se in Pedes erigit, à duobus filiorum suorum, quos delegerit, supportatus. Tum Haraldus super Gradum ascendit, & Tirsano Chartam in manus tradit: Quo facto, ab omnibus qui adsunt, Acclamatio magna fit, Lingua sua, quę hoc significat; Fœlices sunt populi Bensalem. Deinde Haraldus, ab adolescentulo altero botrum uvarum recipit, qui (ut diximus) Aureus est, tam caule, quam uvis ipsis, sed uvæ eleganter colorantur, atque, si Masculi ex familia, numero excedant Fœminas, uvę purpureæ sunt, cum sole parvo in vertice posito, sin fœminæ Mares, uvæ virides sunt, cum Luna crescente in vertice. Vvæ autem numerum liberorum familię exæquant. Iste etiam Racemus aureus, ab Haraldo traditur

Titſano ; qui eundem ſtatim filio illi, quem antea elegerat, ut ſecum in Domo maneret, tradit: Is autem perpetuo cum ante Patrem geſtat, quoties in publicum progreditur, tanquam inſigne honoris, atque inde nomen (ut dictum eſt,) Filii vitis, accipit. Peracta hac ſolennitate, Tirſanus ſe recipit, atque poſt Moram aliquam interjectam, rurſus ad prandium egreditur, ubi ſedet ſub Conopæo ſolus, neque cuivis ex Liberis, cujuſcunque gradus aut dignitatis, una ſedere conceditur: Niſi forte fuerit ex domo Salomonis. Servitium Menſę præſtant maſculi ex familia, qui hoc faciunt, quoties ei aliquid in genua procumbentes: Fœminæ autem, tantum juxta parietem, circunſtant. Pars Aulæ, quæ infra gradum eſt, menſas habet utrinque ſitas, pro convivis, quibus decore admodum, & ordine bono, miniſtratur: ſub finem autem prandii, (quod apud illos, in maximis ſuis ſolennitatibus, non ultra ſeſqui-horam durat,) cantatur Hymnus, pro ingenio Componentis variatus, (habent enim Poetas optimos,) ſubjectum vero e-

so ejus, perpetuo sunt Laudes, Adami, Noachi, & Abrahami: quorum primi duo, universi generis humani parentes extiterunt, tertius, Pater Fidelium. Concluditur tamen semper, cum gratiarum actione, propter Nativitatem Servatoris nostri: in quo universæ terræ generationes benedictionem consequuntur. Finito prandio, Tirsanus iterum se recipit: atque solus subducitur in locum interiorem, ubi preces secretas fundit: dein progreditur tertio, ut benedictionem suam impertiat, universis liberis suis, qui eum circunstant, ut prius. Tum eos nominatim, ad se, singulos vocat, prout ei placuerit, licet raro Ætatis ordo immutetur. Persona quæ vocatur, (mensa prius semota,) continuo in genua, ante Cathedram procumbit: Pater autem manus capiti ejus imponit, atque ei benedicit in hæc verba: Fili Bensalem, (aut filia Bensalem,) Pater tuus dicit: Ille, per quem auram vitalem hausisti, verbum loquitur: benedictiones Patris æterni, Principis Pacis, & Columbæ sanctę, descendant super te, & dies peregrinationis tuæ,

reddant multos & bonos. Hanc Benedictionem singillatim impertit. Quod si aliqui ex liberis masculis, virtute & meritis praecelluerint, (modo numerum duorum non excedant,) post benedictionem generalem, seorsim eos vocat: manus autem super humeros eorum extendens, illis stantibus, sic infit, Fili, bene habet quod natus es, da Deo gloriam, & in finem persevera. Atque una ei Monile tradit, in figuram spicae Frumenti, formatum: Quod is *semper postea, in fronte Turbani,* aut Galeri sui, portat. Hoc peracto, ad Musicam & Saltationem, & Hilaritates id genus alias, apud eos usitatas, prò residuo diei, se accingunt. Atque iste est modus Festū illud celebrandi.

Intra paucos dies sequentes, amicitiam & familiaritatem cum Mercatore quodam Civitatis illius, cui nomen Ioabin, contraxi. Erat autem Iudaeus & Circumcisus. Paucas enim quasdam Iudaeorum stirpes, inter eos nunc degentes, habent, quibus Religionem suam permittunt: Quam veniam facilius indulgere possunt, quandoquidem Iudaei illi, à Iu-

dæis

dæis in reliquis orbis partibus, moribus longe diversi sunt. Nam cum Iudæi alii, nomen Christi odio habeant, atque adversus populum, inter quem degunt, secretam & inveteratam malitiam foveant, hi cōtra, Servatori nostro, attributa plurima sublimia reddunt, nationem autem Bensalem amant impensissime. Sane vir iste, de quo loquor, confiteri semper solebat, Christum natum fuisse ex virgine, atque homine mero majorem extitisse: tum narrare solebat, quod Deus eum Seraphim, qui Thronum suum stipant, præfecit: vocabat eum etiam quandoque viam Lacteam, quandoque Eliam Messiæ, & aliis compluribus nominibus magnis eum insigniebat. Quæ omnia, licet divina Christi Majestate; longe inferiora sint, à stilo tamen Iudæorum cæterorum multū differunt. Regionis autem Bensalem laudandæ, idem nullum faciebat finem: quin & credi voluit, ex traditione quorundam Iudæorum, illic degentium populū Bensalem, ex stirpe Abrahami, per aliū filium, quem Nachorā vocat, fuisse: quin & Mosem, per

secre-

ſecretam quandam Cabalam, Leges illas, quibus populus de Benſalem hodie utitur, condidiſſe: Atque in Adventu Meſſiæ, cum conſeſſurus ſit Hieroſolymis, in Throno ſuo, Regem Benſalem ad pedes ejus ſeſſurum; Cæteris Regibus ad diſtantiam longam amotis. Veruntamen, ſomnia iſta Iudaica ſi ſeponas, vir fuit admodum prudens, & doctus, & Conſilii profundi; Quique Legum & Conſuetudinum Gentis illius Benſalem perquam gnarus extitit. Inter Sermones alios die quodam, forte dixeram, me Relatione illa, quam è quibuſdam ex noſtris acceperam, circa Conſuetudinem illorum, in celebrando Feſto quod vocant, Familiæ; magnopere delectatum eſſe; Neque enim videbat mihi, unquam de ſolennitate aliqua inaudiviſſe, in qua Natura tam inſigniter præſideret. Quoniam vero Familiarum Propagatio, ex Nuptiali copula procedit, cupiebam aliquid ex eo reſcire, Tum circa Leges & Conſuetudines ipſorum circa Nuptias; Tum denique utrum Polygamiæ inter illos interdiceretur? Quandoquidem

Natio-

Nationes, quæ Subditorum Propagationi tantopere ſtuderent, Polygamiam plerunque tolerarent. Ad hęc reſpondit, non ſine cauſſa certe, inſtitutionem illam excellentem, Feſti Familiæ, laudas. Quin & experientia apud nos comprobatum eſt, familias illas, quæ ex Feſti illius Benedictione participarunt, mirifice poſtea ſemper floruiſſe. Verum arrige aures modo, & narrabo tibi quod ſcio. Intelliges, ſub ſole vix reperiri, gentem ullam tam caſtam, quam hæc de Benſalem: Nec ab omni labe, & pollutione adeo puram. Virginem mundi plane dixerim, memini me legiſſe, in uno ex libris veſtris Europæis, de ſancta inter vos Eremita, qui ſpiritum Fornicationis videre cupiit, atque parvum, deformem, & turpem AEthiopem, illico ei appáruiſſe: quod ſi ſpiritum Caſtitatis Benſalem, videre expetiſſet, proculdubio in forma Cherub alicujus, pulchri & glorioſi, ei apparuiſſet. Nihil enim inter mortales pulchrum, aut admiratione dignum, præ gentis iſtius animis caſtiſſimis. Quamobrem, notum tibi velim, nulla inter

cos

eos esse Lupanaria, prostibula nulla, nullas Meretrices conductitias, neque aliquid hujusmodi. Imo, non sine detestatione quadam mirātur, vos in Europa talia tolerare. Ajunt, vos Nuptias de officio suo deturbasse: nuptię eum in remedium, concupiscentiæ illicitę institutæ sunt, concupiscentia autem naturalis, ad nuptias instar stimuli est. Verum, cum hominibus remedium, corruptis suis Cupiditatibus, magis gratum adsit, nuptiæ fere expelluntur. Itaque, innumeros apud vos videre est, qui uxores non ducunt, sed Cælibatum potius impurum, & libidinosum præoptant, quàm jugum Matrimonii honorabile. Multi insuper, qui uxores ducunt, sero hoc faciunt, cum juventutis Flos & Robur evanuerint. Sin forte Matrimonium contrahant, quid aliud est Matrimonium illis, quam Mercatura mera? In quo affinitas, aut Dos, aut existimatio quæritur, cū desiderio nonnullo, (sed tamen tanquam rei indifferentis,) sobolis: minime autem, fidelis illa, inter virum & fœminam, nuptialis unio, quę in

pria-

principio instituta est,in mentem venit. Neque etiam fieri potest, ut illis, qui tam magnã partem ætatis & roboris sui, adeo viliter consumpserũt, liberi,(pars nostri altera,)omnino in pretio sint. Quin & durante vinculo matrimonii,num-nam res hęc in melius vertitur, ut fieri debuit, si excessus isti, necessitatis solũmodo causa, tolerarentur? Nequaquã: manent autem Desideria eadem etiã post matrimoniũ,in matrimonii ipsius dedecus & opprobriũ. Neque enim Lupanarium frequentatio,aut consuetudines meretriciæ, in maritis magis, quam in cęlibem vitã agentibus,puniuntur. Ad novos autem amores proclivitas & meretriciũ amplexuũ delectatio, (ubi peccatũ in artem conversum est,) nuptias reddit rem insipidam, & veluti onus,aut tributũ quoddam. Audiunt,hæc à vobis defendi, utpote,ad majora mala evitãda,tolerata: veluti,adulteria, virginum constuprationem, libidinem cõtra naturam & similia. Verum prudentiam hanc censent esse præposteram: eamq; vocãt, conditiones Lothi; qui ut hospites à

Con-

Contumelia eximeret, filias obtulit. Imo ulterius dicunt, ex hoc parum aut nihil lucrifieri, cum vitia eadem, & appetitus pravi, usque maneant, & abundent: Quandoquidem Libido illicita, instar Fornacis fit, ubi si Flammam omnino contineas, ilico extinguitur; Sin Exitus aliquis detur, furit. Quantum vero ad Amores Masculorum, istos ne fando quidem norunt, Neque tamen Amicitias, per universum Orbem, magis fideles, & inviolatas, reperies. Atque; *ut verbo dicam, (sicut antea* quoque dixi,) non ullibi legi, tantam vigere Castitatem, quantam in hac Terra. Quin & Sermo apud eos usitatus est, Qui impudicus est, sui Reverentiam perdit: Reverentia autem sui, secundum Deum & Religionem, Vitiorum omnium frænum potentissimum.

Hæc cum dixisset, Iudæus ille, vir egregius, paulisper tacuit. Atque Ego, licet Audiendi, magis quam Loquendi, cupidus, Decorum tamen existimans, ut dum ille aliquantisper respiraret, ipse protinus non silerem hoc tantum dixi, Me ad eum, Verbis illis

illis usurum, quibus usa est ad Eliam, Vidua Sareptana, Venisse eum, ad revocanda in memoriam nobis peccata nostra, Quodque ingenue confiteri oportet, Abundare Iustitiam Bensalem plus quam Europæorum. Ad quæ verba paululum se inclinavit, & Sermonem hoc modo continuavit.

Leges etiam habent circa Nuptias, complures prudentissimas sane, & honestissimas. Polygamiam non tolerant. Sanxerunt, ut nec Nuptiæ celebrentur, nec Contractus de Nuptiis futuris fiant, nisi post Mensem, à tempore, quo uterque mutuo se primum conspexerunt. Nuptias absque consensu Parentum factas, irritas quidem non habent, sed Hæreditate mulctant: Etenim talium Nuptiarum Liberos duabus Tertiis Hereditatis privant. Equidem, in Libro cujusdam è vestris, de Rep. quadam Imaginaria, legi, ubi Matrimonium contracturis, se invicem nudos conspicere, permittitur. Hoc illi non probant. Etenim Contumeliæ loco ducunt, ut quis, post Notitiam tam familiarem, rejiciatur: Veruntamen, prop-

propter Defectus in Viris & Mulieribus complures secretos, qui Matrimonium postea infœlix reddere possint, more utuntur magis Civili: prope oppida singula, stagna duo habent; quæ vocant stagna Adami & Evę; ubi permissum est, uni ex amicis viri, atque itidem alteri ex amicis fœminæ, spectare eos separatim in Balneo lavantes. Dumque hoc modo colloqueremur, venit quidam, qui Nuncius videbatur, indutus Tunica picta & inaurata; qui Iudæum allocutus est. Vnde ad me vertit, & dixit, ignoscas mihi, obsecro; sine mora hinc accersor. Postridie mane, rursus ad me venit Iudæus, lætabundus, ut videbatur, & dixit: Perlatus hæri est Nuncius, ad præfectum urbis, intra dies septem, accessurum huc unum ex patribus domus Salomonis. Duodecim jam anni elapsi sunt, ex quo ullum eorum hic vidimus. Adventus ejus solennis futurus, causa in occulto. Curabo, ut tibi & sociis tuis, locus commodus apparetur, unde celebritatem ingressus ejus spectare possitis. Gratias ei egi, & dixi, Nuncium hunc de accessu ejus, mihi pergratissimum

mum

mum esse.

Die constituto, ingressus est Pater. Vir fuit staturę, & ætatis, mediocris, aspectu decorus, vultum præ se ferens quasi miserantis. Vestitus erat toga, ex panno nigro, sincero, cum Manicis largis, & Capa. Vestis interior ex Lino erat, elegantissimo certe & albissimo, usque ad pedes demissa, cum Balteo itidem candido, ex Lino. Liripipium etiam gestabat circa Collum, ex Lino purissimo. Chirothecas habebat sumptuosas, & Gemmis ornatas. Calceos Hyacinthinos ex Holoserico. Collum usque ad Humeros nudum. Galerus, figura Galeę erat, aut Monteræ, ut vocant Hispani: sub qua propendebant Cincinni ejus, subcrispi, & modo decenti compositi. Color eorum subniger, quemadmodum & Barbæ, quæ in figuram rotundam tonsa erat. Vehebatur autem in Cathedra splendida, sine Rotis, Lecticę more: Binis Equis, magnifice phaleratis, ex Holoserico Cæruleo, Auro intexto, Cathedram ad utrunque finem supportantibus:

bus; una cum duobus Curſoribus, ad utrumque Cathedræ, pari ornatu. Cathedra ex Cedro erat, inaurata, atque Cryſtallo ornata: niſi quod pars ãterior quadras haberet ex ſapphiris, auro interſtinctis, poſterior autem ſimiles ex ſmaragdis Coloris Peruviani. Etiam in medio verticis Cathedræ, Sol erat, ex auro radians: Et in fronte ejus Cherub parvus, alis expanſis, ex auro itidem. Operimentum Cathedrę erat Pannus, ex filis aureis, cum ſerico cœruleo. Cathedram præibant quinquaginta Iuvenes, in tunicis laxis, ex ſerico albo, ad Tibiam mediam, & Tibialibus ex ſerico itidem albo, calceis autem ex Holoſerico cæruleo & Galeris ex eodem, cum plumis elegantibus diverſorum Colorum, Galerum ambientibus, in formam chordæ Proxime ante Cathedram incedebant duo viri, capitibus nudis veſtiti linteo albo, uſque ad talos demiſſo, & ſuccincti, calceis itidem ex Holoſerico cæruleo: qui geſtabant, alter crucem, alter pedum Paſtorale: Neutrum ex metallo, ſed crucem ex Xylo-balſamo, pedum ex Cedro. Equites comita-

mitabantur nulli, nec ante, nec pone Cathedram, ea (credo) ratione, ut tumultus omnis, & strepitus, evitarentur. Post Cathedram sequebantur Magistratus & Fraternitates urbis. Sedebat solus, super pulvinar, ex Holoserico quodam hirsutiore, coloris Cærulei: sub pedibus autem vestem stragulam habebat, ex serico item, colorum diversorum, similem Persicæ quidem, sed elegantiorem. Dextram, qua ibat, sustulit nudam, populo benedicens, sed cum silentio. Plateæ ita erant ordinatæ, ut via ampla pateret, nullibi interclusa: Neque (credo) acies unquam in exercitu, ordinata melius fuit, quam populus, eo tempore, in plateis. Quin & intra fenestras ipsas, non indecenter stabant spectatores, sed quisque velut ordine suo locatus. Celebritate finita, Iudæus mihi dixit: per aliquot jam dies, detinebor, quo minus vobiscum, pro solito, & ut cupio, versari possim: Eo quod à præfecto urbis, munus mihi demandatum est ut viro huic summo inservirem. Triduo post, Iudæus ad me reversus est, & dixit: Bonis Avibus huc advenistis,

ſtis: Pater enim domus Salomonis, de veſtra in hac urbe mora, certior factus eſt: Mihique mandavit, ut renunciem vobis, ſe univerſam ſocietatem veſtram ad conſpectum ſuum admiſſurum, ſeorſim etiam, cum uno aliquo veſtrum, quem ad hoc deligetis, collocuturum. Cui rei diem perendinum deſignavit. Quoniam autem vos, benedictione ſua impertire, in animo habet: Tempus antemeridianum præſtituit. Die & hora præfixis venimus: Ego autem, à *Sociis meis*, *ad privatum illud Colloquium*, deputatus ſum. Invenimus eum, cubiculo ſpecioſo, aulęis ſplendentibus inſtructo, & tapetibus ſtrato, abſque ullo gradu aſcenſus ad Cathedram ubi ſedebat. Sedebat ſuper ſolium humile, magnifice ornatum, ſupra caput autem habebat conopæum, ex ſerico cæruleo, auro eleganter intertexto. Conclave hominibus vacuum erat, niſi quod ab utroque latere Solii, honoris ergo, ſtabat ſervus, albis veſtibus indutus. Veſtis ejus interior, ſimilis fuit illi, qua amictum eum vidimus in platea. Sed loco Togæ, indutus erat pallio,

cum

cum capa, ex panno nigro, admodum ſincero, circa humeros revincto. Sub ingreſſum noſtrum, prout edocti fueramus, inclinavimus nos ſubmiſſe: Cumque prope Solium acceſſiſſemus, erexit ſe in pedes, dextram ejus exuta chirotheca attollens, in modum benedicentis: Nos autem ſinguli, fimbriam Liripipii ſui, proni, exoſculati ſumus. Hoc facto, reliqui ex ſociis meis receſſerunt, ego autem ſolus manſi. Tunc innuit Adoleſcentulis, ut illi quoque ſe ſubducerent, meque juxta aſſidere voluit atque lingua Hiſpanica, ad hunc modum, exorſus eſt.

Benedicat tibi Deus, fili mi, gemma præcipua, ex iis quas habeo, te impertiar: etenim haud gravabor, propter Dei & hominum amorem, ſtatum verum domus Salomonis tibi revelare. Fili, ut perſpicue cognoſcas ſtatum verũ domus Salomonis, hoc ordine procedam. Primo declarabo finem fundationis noſtrę: Secundo apparatum & inſtrumenta, quibus ad Opera inſtruimur: Tertio officia diſtincta, & functiones, quę ſociis noſtris aſſignãtur: Poſtremo, or-

dinationes, & ritus, quibus utimur.

Finis fundationis noſtræ, eſt cognitio cauſſarum, & motuum, ac virtutem interiorum in natura, atque terminorum imperii humani prolatio, ad omne poſſibile.

Apparatus autem, & inſtrumenta noſtra, hęc ſunt. Habemus cavernas amplas, & profundas, diverſarum altitudinum. Profundiſſime earum deprimentur uſque ad ſexcentas orgyas. Atque nonnullæ ex iis effoſę ſunt ſubter magnos montes, adeo ut ſi altitudinem cavernæ, ſimul conferas, profunditatem habent, aliquæ earum, trium milliarium. Reperimus enim altitudinem montis, uſque ad planum, & altitudinem Cavernæ à plano, idem revera eſſe, utrumque, æque à ſole, & radiis cœleſtibus, & aere aperto, remotum. Has cavernas regionem infimam vocamus. Iiſdem autem utimur, ad omnes coagulationes, indurationes, refrigerationes, & conſervationes corporum. Vtimur etiam iis, ad mineras naturales imitandas; atque ad productionem novorum metallorum artificialium, ex materiis &

Cæ-

Cæmentis, quæ ibi præparamus, & in multos annos ſepelimus. Vtimur illis quandoque (quod mirum videri poſſit,) ad curationem quorundam morborum, & prolongationem vitę, in aliquibus Eremitis, qui illic vivere præoptant, bene inſtructi omnibus rebus neceſſariis, qui certe vivaciſſimi ſunt; aquibus etiam multa addiſcimus.

Habemus etiam alias ſepulturas corporum naturalium, & materiarum; Non in concavo aliquo, ſed in ipſa terra contigua, ubi complura cęmenta condimus, ut Chinenſes condunt porcellanam ſuam. Sed nos ea habemus majori varietate, & nonnulla ex iis elegantiora, quam porcellana Chinenſis. Quin & habemus ſtercorationum, & fimorum, varietatem magnam, item congeſtionum & maſſarum aliarum, quæ terram impinguãt, & fertilẽ reddunt.

Habemus Turres præaltas, quarum altiſſimę, uſque ad altitudinem Semi miliaris, linea perpendiculari, inſurgunt. Nonnullæ vero earum ſupra montes excelſos ſitæ, ita ut, ſi altitudinem Montis & Alti-

tudinem turris, simul componas, extenditur altitudo in aliquibus earũ, usque ad tria miliaria ad minimum. Hæc autem loca regionem supremam appellamus, æstimantes aëris tractum universum, inter supremam & infimam, pro regione aëris media. Vtimur his turribus, prout altitudinibus & situbus earum diversis convenit, ad insolationes, refrigerationes, conservationes, & ad meteora diversa spectanda, veluti ventos, pluvias, nives, grandines, & aliqua ex meteoris ignitis. Atque etiam, supra eas, in aliquibus *locis, sita sunt*, habitacula Eremitarum, quos quandoque visitamus, atque insuper, quid observare debeant, edocemus.

Habemus lacus magnos, tam salsos, quam dulces, utimur autem iis, ad suppetendos nobis pisces, aves item palustres & aquaticas, omnis generis. Vtimur etiam iis ad sepulturas corporum nonnullorum naturalium. Differentiam enim operationis invenimus, in rebus, quæ in terra sepeliuntur, aut in aëre subterraneo, & iis quæ in aqua submerguntur. Habemus stagna, in quorũ nonnullis,

nullis, aqua dulcis percolatur ex salsa, in aliis autem, per artem, aqua dulcis in salsam mutatur. Habemus insuper rupes, in medio maris, & loca quædam aprica ad littora ipsa, pro quibusdam operibus efficiendis, in quibus auris maris requiritur. Habemus quoque Gurgites rapidos, & Cataractas; ad usum compluriũ motuum violentorũ, ad similem usum, habemus Machinas complures, quæ ventos excipiant, multiplicent, & roborent.

Habemus etiam puteos multos, & fontes artificiales, ad imitationem Naturalium Scaturiginum, & Balneorum, factos, Vitriolo, Sulphure, Calybe, AEre, Plumbo, Nitro, & aliis Mineralibus tinctos: Habemus insuper Puteos, & receptacula parva, ad rerum multarum Infusionem; ubi aqua, (currens scilicet,) Virtutem Corporum, melius & vivacius, quam in vasis, & Catinis, excipit. Inter quos habemus aliquos, in quibus conficitur Aqua, quam vocamus, Paradisi, per præparationes quasdam nostras, valde salubris & efficax facta, ad sanitatem, & longævitatem.

Habemus etiam ædificia ampla & ſpatioſa, in quibus imitamenta & repręſentationes meteororum exhibemus: veluti, nivis, grandinis, pluvię, pluviarum artificialium ex corporibus miſtis non aquis, tonitruum, fulgurum, coruſcationum, & generationum inſectorum & animalculorum in aere, veluti ranarum, muſcarum, locuſtarum & aliorum.

Habemus etiam cubicula nonnulla, quæ cubicula ſanitatis vocamus, ubi aerem ad libitum tingimus, & temperamus, prout ad curationes complurium morborum, & conſervationem valetudinis, conducere, & proprium eſſe, judicamus.

Habemus eiam balnea pulchra, & ampla, ex diverſis mixturis, ad curationem complurium morborum, & corporis humani reſtaurationem ab arefactione, alia item ad roborationem, & confortationem nervorum, partium vitalium, atque ipſis corporis ſucci & ſubſtantiæ.

Ha-

Habemus etiam pomaria, & hortos, amplos, & varios, in quibus, non tam nobis cordi eſt, pulchritudo Ambulacrorum & ſimiliū, quam varietas Terrę, & Soli, diverſis arboribus & herbis proprii. Aliqui autem eorum, arboribus & baccis conſiti ſunt, ad potuum complura genera conficienda, præter vineas. In his etiam experimenta facimus, inſitionum, & inoculationum, arborum, tam Silveſtrium, quam Fructiferarum, quæ multos & magnos effectus producunt. Atque efficimus per artem, in iiſdem pomariis & hortis, ut fructus & Flores proveniant citius aut ſerius, quam pro tempeſtate ſua: Item, ut minoribus intervallis, pullulent, germinent, & fructum ferant, quam Natura ſua conſueverunt. Arbores etiam & Plantas grandiores efficimus, quam pro natura ſua; & Fructus earum majores & ſuaviores; atque Sapore, Odore, Colore, & Figura, differentes à ſpecie ſua: Et multos ex iis ita præparamus, & ad Vſus Medicinales valeant. Habemus etiam modos; per quos Plantæ complu-

res, per ſolas terræ mixturas, abſque ſemine, exurgere, & creſcere faciamus: atque etiam novas, & incognitas Plantas, educimus, à vulgaribus differentes, atque Plantas, ex una ſpecie, in aliam tranſmutamus.

Habemus etiam ſepta, & vivaria, pro beſtiis, & avibus, omnigenis: Quibus, non tam propter novitatem & raritatem, quam ad diſſectiones & experimenta Anatomica, utimur, ut ab iis, quid fieri poſſit, circa corpus humanum, lucem accipiamus. In quibus, mirabiles multos effectus reperimus, veluti vitæ in iis continuationem, licet nonnullæ partes, quas vos pro vitalibus habetis, perierint, aut extractæ fuerint; reſuſcitationem nonnullarũ, quæ ſpecie tenus; mortuæ erant, & ſimilia. Experimentum etiam ſumimus ſuper illas, venorum omnium, in Antidotorum, & aliorũ medicamentorum, tam Chirurgicorum, quam Medicinalium, ut corpori humano melius caveamus. Arte etiam reddimus alias majores, & proceriores, quam pro natura ſua, econtra, alias Nanas facimus, & ſtatuta juſta privamus: Præterea alias fera-

cio-

ciores, & partu numerosiores, reddimus quam natura earum fert; econtra, alias steriles, & Generationi ineptas. Etiam colore, figura, & Animositate, eas multis modis variamus. Procuramus etiam Mixturas & copulationes animalium diversarum specierum, quæ novas species produxerunt, neque tamen eas steriles, prout communis fert opinio. Insuper, complura genera Serpentium, Vermium, Muscarum, Piscium, ex putrefactione producimus, quorum nonnulla in perfectas species maturantur, sicut Aves, aut Bestię, aut alii Pisces: Et sexu discriminantur, & generant. Neque tamen casu hoc facimus, sed satis novimus, ex quali Materia, quale animal sit producibile.

Habemus etiam Piscinas particulares, ubi similia experimus in piscibus, quæ prius de bestiis, & Avibus, diximus.

Habemus etiam Loca propria, ad Generationem ejusmodi Vermium, & Muscarum quæ vobis incognitæ, & inprimis utiles sunt: Quales sunt apud vos bombyces, & apes.

Non te remorabor, commemorando quales habemus Domus, pro conficiendis, vino, ſicera, cerviſia, & aliis potibus, aut pro panibus omnimodis conficiendis: aut culinas, in quibus conficiuntur & præparantur jura, cibi rari & inuſitati, ad effectus ſpeciales. Vina habemus ex uvis; potus item ex aliis ſuccis fructuum, decoctionibus granorum & radicum & mixturis mellis, ſacchari, mannę fructuum multorum (ſicut in uvis faciunt) paſſorum, etiam ex lachrymis arborum, & medullis arundinum. Potus autem iſti ſunt ætatum diverſarum, nonnulli uſque ad annum quadrageſimum ſervati. Habemus etiam potus medicatos ex infuſionibus & mixturis diverſarum radicum, herbarum, aromatum, Quin & additis quandoque carnibus, ovis, lacticiniis, & aliis eſculentis, Ex quibus nonnulli ſunt inſtar cibi & potus conjunctim, adeo ut complures, præſertim ętate decrepita, ex illis ſolis vivant, cum exiguo, aut nulla uſu, cibi, aut Panis. Atque ante omnia contendimus, ut potus tenuiſſimarum Partium conficiamus,

mus, quo facilius in corpus se insinuent, sed absque omni mordacitate, acrimonia, aut corrosione: Adeo ut nonnulli eorum, super dorsum manus impositi, post exiguam moram, insensibiliter ferme ad palmam penetrabunt; Qui tamen, Linguam, aut palatum, non mordebunt. Habemus etiam aquas quas ita maturamus, ut Nutritivæ plane fiant, & in potus excellentes evadant; unde complures alio potu uti nolint. Panes habemus ex diversis granis, radicibus, nucibus, & glandibus, Aliquos etiam ex carnibus, & piscibus arefactis, cum fermentorum, & Salitionum, generibus variis, Quorum alii, mirum in modum, appetitum excitant, alii ita nutritivi sunt, ut ex iis solis, absque alio cibo, complures vivant, qui tamen longævi plerunque sunt. Cibos habemus, quos ita tundimus, inteneramus, & mortificamus, sed tamen absque aliquo gradu putredinis, ut calor stomachi debilis eos facile in chylum bonum vertat, non minus quam calor Stomachi fortis, operari possit in cibos communes, genera quædam cibi,

panis, & potus, habemus, quæ ſumta, diutius quam pro conſueto, jejunium tolerare, facient: alia item, quibus qui inſueſcunt, carne fiunt duriore, & ſolidiore, quam antea: Tum & Robur ipſorum, ad motum quemlibet, augetur & intenditur.

Habemus etiam diſpenſatoria, vel officinas pharmacorum: in quibus facile eſt exiſtimare, cum nos tanta copia & varietate plantarum, & Animalium, præ vobis in Europa abundamus, (Etenim ſatis novimus quid apud vos inveniatur,) Simplicia item, Pharmaca, & ingredientia ad Medicinas, tanto debere eſſe magis varia, & multiplicia. Ibi quoque pharmaca habemus, ætatum diverſarum, & fermentationis diuturniæ. Quantum vero ad medicinarum præparationes, non ſolum diſtillationes omnigenas exquiſitas, & ſeparationes, habemus, præcipue autem per calores lenes, Et percolationes, per diverſa lintea, lanea, ligna, imo & ſubſtantias ſolidiores, ſed multo magis componendi modos excellentes, per quos compoſitorum incorporationem talem aſſequimur, ut vide-

videantur ferme simplicia naturalia.

Habemus etiam Artes complures Mechanicas, vobis incognitas, & materias per eas confectas, veluti papyros, lintea, serica, textilia, consuta ex plumis elegantissime splendoris mirabilis, Tincturas & Infectiones Colorum pulcherrimas, & alia complura. Quin & officinas etiam aliquarum artium prædictarum, tam earum, quæ in usum communem receptæ non sunt, quam earum quæ sunt. Etenim scire debes, ex iis quæ jam recensui, complura per universum regnum in usu esse, quamvis, si ab inventione nostra, fluxerint, eorum quandoque exemplaria, tanquam primigenia, & optime elaborata, in domo nostra retinemus.

Habemus etiam fornaces valde diversis, quæque gradus calorum diversos, exhibent & servant, coloris scilicet acris & celeris, robusti & pertinacis, lenis & moderati, sufflati, tranquilli, humidi, sicci, & similium. Sed ante omnia calores ministramus, ad imitationem caloris solis, & cœlestium, qui pertranseunt inæqualitates multiplices, & veluti

orbes, progressus, & Periodos, per quas Opera mirabilia educimus, Nec non habemus Imitationes Caloris Fimorum; & Ventrium animalium, atque Sanguinis & Corporum ipsorum: Fœnorum, & Herbarum dum Humidę sunt congestarum & conclusarum: Calcium vivarum, & rerum aliarum. Item habemus Instrumenta, quæ Calorem excitant, per Motum tantum: Atquę insuper loca ad Insolationes fortes, & rursus Loca subterranea, quæ vel natura, vel arte, Calores excitant. Hos Calores diversos exhibemus, prout natura operationis, quā designamus, postulat.

Habemus etiam domus perspectivæ, ubi experimenta exhibemus omnium quoque Colorum; Atque ex Corporibus Diaphanis & Incoloratis, repræsentamus Colores singulos: Non in forma Iridum gliscentes, (ut fit in gemmis, & prismatibus,) sed per se, simplices, & constantes. Præterea exhibemus omnem radiorum multiplicationem, adeo ut Lumen ejaculemur, ad distātias magnas; illique eam virtutem, & fortitudinem, indimus, ut per hujusmodi

lumen,

lumen, cerni possint lineę & puncta tenuissima. Exhibemus omne genus luminum tinctorum, & coloratorum, atque omnes elusiones & deceptiones visus, in Figuris, Magnitudinibus, motibus, coloribus; omnes demonstrationes umbrarum, & imaginum in aere volitantium. Invenimus quoque media complura, apud vos ignota Luminis Originales producendi, ex diversis corporibus. Rursus, artificia invenimus, per quæ objecta valde remota, in Oculos incurrant, veluti, in Cœlo, & aliis locis remotis. Imo etiam quæ prope sunt tanquam ex longinquo ostendimus, & quæ ex longinquo tanquam prope, fictas ad libitum exhibentes distantias. Præterea habemus Oculorum adminucula, quæ Bisoculis vestris, & speculis, usu, longe præstant. Habemus etiam artificia, & perspicilla, quibus corpora minuta & pusilla, distincte & perfecte cernimus; veluti membra, & colores, muscarum exiguarum, & vermium; grana & glacies in gemmis alias nō visibiles; plurima in urinis, & sanguine, alias itē nō visibilia. Porro exhibemus artificia-

ficiales irides,halones,circulos,vibrationes & trepidationes luminis Denique exhibemus omnes modos reflectionis, refractionis, & conduplicationis objectorum.

Habemus etiam gemmas omnium generum, multasque earum pulcherrimas, & vobis incognitas: Item Crystalla, & vitra diversorum generum,inter ea autem quædam ex metallis vitrificatis, & nōnullis materiis aliis, præter eas,ex quibus apud vos vitra conficiuntur. Tum complura etiam Fossilia, quæ vos non habetis. Magnetes item virtutis prodigiosę,& Lapides alios raros, tam naturales, quam artificiales.

Habemus etiam domos sonorum, ubi experimus & demonstramus sonos omnes, eorumque generationes. Habemus Harmonias, quæ apud vos in usu non sunt, miscentes non tantum Beta illud acutum & molle, ut vos,sed quadrantes sonorum, & sonos tremulos aliquos dulcissimos. Habemus instrumenta Musica, quæ vobis nondum innotuerunt, aliqua eorum melodiam exhibentia suaviorem,quam vestra.Campanas quoque

& Tin-

& Tintinnabula ſoni jucũdiſſimi. Exhibemus ſonos exiles tanquam magnos & graves: graves ſimiliter tãquam extenuatos, & acutos. Dein fingimus trepidationes plurimas ex ſonis, qui in ortu ſuo primo integri ſunt. Exhibemus atque Imitamur, ſonos omnes articulatos, & literas, item voces, & Cantus, quadrupedũ, & avium. Habemus quoque adminicula auditus, quæ auribus appoſita, majorem in modum. Senſum ipſum, & Sonorem delationem, promovẽt. Habemus vocum reflexiones, (quas Echo dicitis,) complures mirabiles, & artificiales, vocem non tantum multipliciter repercutientes & jactantes, ſed earum alias vocem augentes, alias extenuantes: Nonnullas autem earum vocem articulatam reddentes differentem ab originali. Habemus ultimo, modos deferendi ſonos, in tubis, & concavis aliis, ad magnam diſtantiam, atque in lineis tortuoſis.

Habemus etiam domus ſuffituum & odorum, ubi & experimenta ſaporum adjungimus: Odores ibi, (quod mirum videri poſſit,) multi-

pli-

plicamus & fortificamus. Imitamur odores naturales, efficientes ut odores omnigeni ex aliis mixturis expirent, quam ex genuinis. Similiter etiam ſapores imitamur, ita ut guſtum, quamvis accuratum, plane fallant. In domo hac continetur inſuper confectionarium, ubi conficimus Bellaria, Placentas, & hujuſmodi alia, tam humida, quam Sicca: Imo & condimus ea, cum rebus aliis dulcibus, gratiſſimis, præter Saccharum, & mel. Vina ibi conficimus jucundiſſima, Lacticinia, Iura, Salſamenta, & Acetaria, grata certe ad guſtum, & vobis minime in uſu.

Habemus etiam domus Machinarum, ubi præſto ſunt Machinæ, & Organa, ad omnia genera motuum. Ibi tentamus celeriores educere motus, quam apud vos ullos habetis, ſive ex Sclopetis veſtris minoribus, ſive alia quacunque Machina. Tentamus item Motus reddere faciliores, & intentiores, eos multiplicando per rotas, & modos alios. Tum Motus educimus fortiores & potentiores, quam vos habetis, in majoribus veſtris bombardis, & baſiliſcis qui-

quibuſcunq;. Exhibemus Tormenta bellica, & Machinas, omnis generis; Novas mixturas Pulveris Pyrii: Ignes Græcos in aqua ardentes, & intextinguibiles: Ignes miſſiles in omni varietate, tam ad voluptatem, quam ad Vſum. Imitamur ibi avium volatus; gradus quoſdam habemus, & Commoditates Vecturę per Aerem, inſtar animalium alatorum. Naves habemus, & Scaphas, quæ ſubter aquas navigare poſſint, & Pelagi furores melius perferre: Cingula etiam ad natandum, & ſuffulcimenta. Habemus Horologia complura exquiſita, & alios motus aëris & aquarum, in orbem, & per vices, revertentes; Item motus nonnullos perpetuos. Imitamur Motus Animalium, in ſimulachris eorum: Veluti, in Simulachris hominum, quadrupedum, avium, piſcium, & ſerpentum. Alios denique habemus motus, æqualitate inſignes, & ſubtilitate.

Habemus etiam domum Mathematicam, ubi inſtrumēta omnia, tam Geometrica, quam Aſtronomica, exquiſitiſſima, repræſentantur.

Habe-

Habemus etiam domum præſtigiarum, ubi omnimodas præſtigias, impoſturas, & illuſiones, & earum fallacias, exhibemus. Facile autem credetis, nos, qui tot habemus vere naturalia, quæ admirationem moveant, poſſe etiam infinita hominum ſenſibus imponere, ſi ea in miraculum ornare, & exaltare vellemus. Verum nos omnem impoſturam, & mendacium, odio habemus. Quinetiam ſociis omnibus domus noſtræ, ſub pœna ignominiæ & mulctę, ſevere interdiximus, ne quid ex naturalibus artificioſo apparatu ementitum, oſtentent; ſed purum ſolum, & ab omni fuco, & affectatione miraculi, immune. Atque hæ ſunt, (Fili,) Domus Salomonis divitiæ.

Quantum ad functiones & munera ſociorum noſtrorum, duodecim habemus, qui in regiones exteras navigant, ſub aliarum nationum nomine, (Noſtram enim terram non revelamus:) Qui libros, materias & exemplaria experimentorum, ad nos perferunt. Hos mercatores Lucis vocamus.

Tres habemus, qui experimenta,

quæ-

quęcunque in libris inveniuntur colligunt. Hos deprædatores vocamus.

Tres habemus, qui experimenta artium omniū mechanicarum; Atq; etiā ſcientiarum liberalium, inſuper & practicarum omnium, quę in artē non coaluerunt, colligunt. Hos Venatores appellamus. Tres habemus, qui ad nova experimenta ſe accingunt, prout ipſis expedire viſum fuerit. Hos Foſſores, ſive operatores in Mineris, vocamus. Tres habemus, qui experimenta reliquorum ſupradictorum, in titulos, & tabulas, digerunt, ut intellectus in ea melius agere poſſit, ad eliciendas ex iis obſervationes, & axiomata. Hos diviſores vocamus. Tres habemus, qui ad hoc ordinantur, ut in experimenta Sociorum ſuorū introſpiciant, & ex iis extrahant, & comminiſcantur inventa, quæ ad uſum vitę, & Practicam ſpectent, nec non quæ inſerviant ſcientiis, non ſolum quoad opera, ſed etiam ad liquidas cauſſarum demonſtrationes, modos eliciendi naturales divinationes, atque facilem & manifeſtā informationem, quę ſint in corporibus ſingulis partes latētes, quæ virtutes? Hos Evergetas appellamus. Tum vero poſt multos Sociorum univer-

ſo-

ſorum conventus & conſultationes, qui labores & collectiones priores, penitus introſpiciunt, & quaſi ruminantur, tres habemus, quibus Curæ eſt, ex iis quæ jã ſub oculis ſunt, nova experimenta, lucis ſublimioris, atque in naturam altius penetrantia, excitare, & dirigere. Hos Lampadas vocamus. Tres habemus, qui experimenta ita injuncta & mandata re exequuntur, eorumque ſucceſſus referunt. Hos Inſitores vocamus. Poſtremo, tres habemus, qui inventiones & revelationes priores in natura, per experimenta, in obſervationes majores, Axiomata, & Aphoriſmos, erigunt, & promovent, quod faciunt, non-niſi conſultatione, & Colloquio, prius habitis, cum Sociis univerſis. Hos interpretes Naturę appellamus.

Habemus etiam, (ut res ipſa poſtulat,) novitios quoſdam, & Tyrones, ut ſucceſſio hominum ad experimenta & Axiomata deſignatorum, non intercidat, præter famulos multos & miniſtros, tam viros, quam mulieres: Hoc etiam apud nos in more eſt, ut accurate deliberemus, quæ ex inventis & experimentis noſtris, in lucem eductis, evulgari conveniat, quæ autem minime. Quinetiam Iure-jurando nos omnes aſtringimus, ad ea celanda, quæ celari decrevimus: Etſi nonnulla ex iis, cum conſenſu, interdum regi, aut Senatui, revelemus: alia autem omnino intra notitiam noſtram cohibemus,

Quan-

Quantum ad ordinationes, & ritus noſtros, habemus Porticus duas ſpatioſas, & pulchras. In quarum una, ordine collocamus, exemplaria rariorum omnium & præſtantiorum inventionum, in altera autem, ſtatuas inventorum inſignorum Ibi ſtatuam videre eſt Columbi veſtri, qui primus Indias occidentales aperuit. Itidem fabricatoris primi navium. Item monachi veſtri, qui primus Tormenta invenit Ignea, & pulverem pyrium. Item inventoris muſicæ. Item inventoris literarum, Item inventoris imprimendi typis. Item inventoris phænomenorum aſtronomiæ. Item inventoris operandi in metallis. Item inventoris vitri. Item inventoris fili bombycini. Item inventoris vini. Item inventoris ſegetũ & Panis. Item invẽtoris ſacchari. Atque inventores hoſce omnes, apud nos ſervamus, ex traditione magis certa & fideli, quam apud vos habetur. Deinde habemus ſtatuas, inventorum complurium inſigniorum ex noſtris, qui res, & opera nobilia invenerunt: Quæ cum ipſi non videritis, deſcriptiones eorum facere, nimis longum eſſet, tum in iiſdem recte intelligendis, proclive erit errare. Etenim inventori rei cujuſque dignioris, ſtatuam mox erigimus, eique honorarium ſatis liberale elargimur. Statuarum iſtarum, aliæ ex ære ſunt, ex marmore, & lapide lydio, aliæ ex cedro, & aliis lignis quibuſdam pretioſis, inauratis, & adornatis, ex ferro aliæ; Aliæ ex argento, quædam ex auro.

Habemus etiam Hymnos quoſdam, & liturgiarum formas, quas quotidie cantamus,

tamus, & recitamus; quibus laudes, ac jubilæa, & gratiarum actiones resonamus Deo, propter mirabilia opera sua: precum item formulas quasdam, quibus auxilium & benedictionem ejus imploramus, ut labores nostros dirigere & illuminare dignetur, atque in bonos usus, & sanctos, convertere.

Postremo, apud nos in usu est, præcipuas in regno urbes, subinde adire, & visitare, in quibus, (prout occasio se offert) talia inventa utilia revelamus, qualia nobis visum fuerit. Prædicimus etiam, antequam adveniant, (id quod ad naturales divinationes pertinet,) morbos epidemicos, pestes animalium noxiorum examina, famem, tempestates & *procellas*, *terræ motus*, *inundationes* aquarum, cometas, anni temperaturam, & alia: quinetiam consilia super rebus hisce damus, & quid populo facere conveniat, ad præventiones, & remedia, hujusmodi malorum.

Cumque hæc dixisset, se in pedes erexit: ego autem, ut edoctus fueram, in genua procubui, unde dextram capiti meo imponens, dixit: benedicat tibi Deus, fili mi, huic itidem relationi, quam feci, Deus benedicat. Licentiam tibi concedo. in Bonum gentium aliarum eandem evulgandi. Siquidem nos his in sinu Dei vivimus; natio aliis penitus incognita. Hæc locutus discessit: Assignaverat autem bis mille circiter Aureos, muneris loco, mihi & sociis meis numerandos. Largitores enim magni sunt, ubicunque venerint, &c.

F I N I S.